# DE INFINITIVO TACITEO.

## PARS PRIOR.

# DISSERTATIO
# INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

VRATISLAVIENSI



AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. MENSIS JANUARII A. MDCCCLXVIII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

**PAULUS CZENSNY,**

SILESIUS.

ADVERSIARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. FOERSTER, DR. PHIL. GYM. M. MAGD. PRAEC.

H. WALTHER, DR. PHIL.

B. MUELLER, SEMIN. PHIL. SOD.

VRATISLAVIAE.

TYPIS A. NEUMANNI.

Scriptores Romanos non tam ex normis quales grammaticorum cohors praecipere solet quam ex naturae ipsius impetu verba enunciationesque composuisse, atque quum linguae indolem tum ingenium scriptoris alicujus singulare e proprietatibus differentiisque optime intelligi posse quis est qui neget. In eorum autem numero, qui dictionis idiomatis, sententiarum structurae nexusque proprietate, narrandi pingendique novitate animos advertunt, et in quibus explicandis studium et operam collocasse juvat, haud scio an primum prae ceteris obtineat locum Cornelius Tacitus, celeberrimus ille historiae conscribendae artifex. Quare de infinitivi usu, qualis in Tacito reperiatur, scripturus quaestionem grammaticam multum ac saepe a viris doctis tractatam retractandam suscepi, non inutile fore putans regulas in universum constitutas praemittere et Taciteum usum proprium maximeque a ceteris scriptoribus discrepantem adjuncta quantum fieri debuit accurata exemplorum quae huc spectant collectione illustrare.

Quamquam in interpretandam inf$^{i}$ naturam jam philosophos grammaticosque veteres certatim animos defixisse, nec non usque ad nostram aetatem in diem magis quaestiones de hac difficillima re in lucem edi non ignoro, tamen si quis dixerit, omnibus nodis satis superque solutis eadem de re amplius explanare longum esse putidumque vehementer erraverit. Itaque non possumus non in ea potissimum quaestione subsistere, cui parti orationis assignandus sit inf$^{us.}$

Quum inf$^{i}$ vis atque notio in nullam partem conclusa expeditaque appareat, alii iique longe plurimi vel

nominis auctoritatem subire eum vel inter verbi nominisque facultatem fluctuari, denique alii nonnisi verbi vices explere censebant. Unde sententias de inf[i] condicione prolatas mirifice discrepare videmus neque Hermannum laudare opus est, qui sententiam jam apud veteres suspectam revolvens inter adverbia inf[um] esse numerandum frustra contenderat.[1])

Antequam vero uni alterive sententiae adstipulatus quam viam ac rationem ipse infra secutus sim praemoneam, haud inopportunum esse videtur, quae veterum de hac quaestione fuerit sententia quam levissime perstringere.

Jam Graeci non minus enunciati quam orationis de partibus quaerentes aut verbo (ῥήματι) aut nomini (ὀνόματι) inf[um] adscripserunt. Stoici qui rebus grammaticis operam navantes bene meriti sunt, inf[um] vocant ῥῆμα καθ᾽ ἑαυτό (verbum per se) et ῥῆμα opponunt verbo finito (κατηγορήματι ἢ συμβάματι). (Cf. Apollon. Dysc. de synt. 1. 8.) unde sequitur, ut ῥῆμα καθ᾽ ἑαυτό praedicatum generale certis modis non definitum notet.[2]) Dialectici autem inf[um] verbo non attribuisse videntur, quia personae significatione sit destitutus. Accuratissime et verbi et inf[i] in naturam inquisivit Apollonius Dyscolus, ex quo omnes posteriores inprimisque Priscianus hauserunt. Secundum eum inf[us] est πρᾶγμα καθ᾽ ἑαυτό (actio per se), γενικώτατον ῥῆμα. (de synt. 1, 8. p. 31 v. 231.) Praeterea Apollonius inf[i] rationem ad ceteros modos explicans (3, 13. pp. 229. 231.) etiam modum per se vel modum generalem appellavit, ἔγκλισιν in universum pro certa forma cum modi significatione accipiens. (de synt. 3, 16, 28.) Inf[us] igitur ἔγκλισις γενικωτάτη est, reliqui omnes modi species (εἴδη) verbi generalis, quod est inf[us], habentur. Itaque omnes modos continet eorumque vim accipere potest inf[us], quamquam singulorum modorum nulla vis sola in eo latet, quum inclinationis animi (διαθέσεως ψυχικῆς) significatione sit destitutus.

---

[1]) De emend. gram. p. 128. cf. Armbruster Grammaticorum graec. inprimis Apoll. Dysc. de inf. natura sententiae. Vratisl. 1867. p. 2.

[2]) De Stoicorum grammatica observarunt: Classen gr. gr. primord. p. 51. R. Schmidt Stoic. gr. p. 44. sqq. L. Lersch Sprachphilos. d. Alt. II. p. 31. 36. 201. L. Stern Lehrbuch d. allg. Gr. d. 125. Geppert Darstell. d. gram. Categ. p. 53. Armbruster l. l. p. 7.

(de synt. 1, 8.) Διάθεσιν ψυχικὴν autem, quae certis tantummodo modis propria virtus est, inf$^{us}$ non arctiore sensu habet, sed facultas ejus inf$^{o}$ inesse potest, unde sequitur, ut etiam personae et numeri facultas proprie eum non deficiat. Quo vero loco in modorum numero posuerit inf$^{um}$ Apollonius, quaerere omittimus.

Nec laude indignus est Priscianus qui (I. p. 369. v. 1.) verbum sic interpretatur: „verbum est pars orationis cum temporibus et modis, sine casu, agendi vel patiendi significativum.“ Modi significationem sic definit: (I. p. 421.) „modi sunt diversae inclinationes animi, varios ejus affectus demonstrantes.“ Ceterum quinque modos statuit et in iis ultimum inf$^{um}$ numerat, quem esse qui et personis et numeris deficiat, unde et nomen acceperit infiniti dicit.

Viri linguae sanscriticae periti novam et veteribus incognitam viam sequentes ad unum omnes nomini inf$^{um}$ adscripserunt et inter casus retulerunt. Nam externam formam respicientes et radicem et suffixum distinguunt, quod est aut casuum suffixum aut personae terminatio. Radicem inf$^{orum}$ eandem esse quam nominum opinantur et suffixo addito gigni nomen, personali terminatione verbum. [3]) Itaque non mirum est, quod inf$^{um}$ modo accusativi, modo dativi, modo locativi vices explere contendunt. [4]) Quodsi inf$^{um}$ pro vero substantivo abstracto accipiunt, fere nullum discrimen intercedere inter infinitivum et gerundium supinumque linguae Latinae porro docent. [5])

Deinde etiamsi sunt qui inf$^{um}$ quasi mediam orationis partem interjectam esse inter participium et substantivum ideoque substantivi verbalis vices explere censuerint, [6]) tamen hac ratione mera infinitivi natura non eruatur. Nam ante omnia quantum ex participii natura in inf$^{um}$ transierit quantumque nominis notio suppeditaverit, diffi-

---

[3]) Vid. Schleicher Compend. d. vergleich. Gramm. d. indog. Sprachen. ed. II. p. 660.

[4]) Cf. Bopp. Vergleich. Gramm. cet. ed. I. pp. 1202. 1209. Leo Meyer De inf. Hom. Schleicher l. l. p. 472.

[5]) Bopp. Conjugationssyst. pp. 107. 112. Vergl. Gr. ed. I. p. 1202.

[6]) Bernhardi Anfangsgr. d. Sprachwissenschaft §. 47. artt. 1. 4. Humboldt in ann. A. G. de Schlegel, s. v. Ind. Biblioth. II. p. 71—99. cf. M. Schmidt Ueber d. Infinitiv. p. 8.

cile est dijudicatu. Quae auctoritas participio in natura inf$^{i}$ definienda attribuatur, infra videbimus; nunc satis est dixisse inf$^{o}$ notionem essentiae fluxae nulla vi modali circumscriptam exprimi, participium substantiam significare et ad nominis naturam accedere.

Quotiescunque aliorum sententias de condicione inf$^{i}$ explicanda prolatas cogitando amplexus sum, quum non minus externum linguae Latinae habitum quam usum scriptorum Latinorum in disceptationem vocare deceat, nulla sententia probabilior verisimiliorve mihi visa est quam inf$^{um}$ verbi munere fungi et verbo ipsi attribuendum esse. [7]) Inf$^{us}$, cujus origo nonnisi in verbo quaerenda est, meram verbi notionem exprimit et actionem sive passionem sive utrumque verbi in universum definit. [8]) Si vero inf$^{us}$ e verbo ipso est ortus, inf$^{um}$ idem regimen, quod verbo finito est retinuisse nec genere verbi nec tempore esse destitutum satis apertum est. Nihilominus quamquam verbi partes constanter servavit, inf$^{us}$ modus non habendus est, id quod quidam veterum exemplum secuti voluerunt, nam, ut Scaliger [9]) recte judicat, „nullam animi inclinationem ostendit, sed omnes ipse sequitur atque cum ipsis coalescit ad significandum.“ Significatio vel vis modalis non in inf$^{o}$ jam inest, sed verbo ei addito, unde pendet inf$^{us}$, indicatur. Quo verbo adjuvante inf$^{us}$ praedicare aliquid potest et locum suum in enunciato exhibet. Cum inf$^{o}$ non quaelibet verba conjunguntur, sed ea tantum, quae inf$^{i}$ notionem generalem limitibus quibusdam circumscribere et actionem verbi certam in personam aut rem referre possunt. Hanc vero verborum ejusmodi rationem ad omnium inf$^{orum}$ usum definiendum aptissimam esse infra copiosius demonstrabimus.

Si vero inf$^{i}$ Latini naturam accuratius explanare studemus, Graeci inf$^{i}$ ratio non praetermittenda est. In

[7]) Eandem sententiam nuper secuti sunt Hoehne de inf. ap. Graecos class. aet. poet. usu qui fertur pro imperativo. Vratisl. 1867. Englisch de inf. Hom. ibidem 1867.

[8]) Eandem opinionem etiam Humb. l. l. p. 89. amplexus esse videtur, cum diceret inf$^{um}$ esse puram verbo significatam ἐνέργειαν (actionem) nec tamen substantivi formam usurpantem.

[9]) De causs. ling. lat. V. p. 301. ed. Commed.; idem inf$^{um}$ verbo attribuit dicens „inf$^{um}$ verbum esse, verbi definitio clamat. Significat enim rem sub tempore.“

Graecorum lingua, quum nonnisi una eademque inf$^{i}$ forma in usu esset, notio inf$^{i}$ articuli accessu, quo Romani carent, deinceps ita aucta et amplificata est, ut certam quandam nominis qualitatem recipere posset. Qua ratione quum inf$^{o}$ ipso forma substantivo verbali cognata effecta esset, virtutes quoque nominis ei attributae sunt. Accessit igitur articuli flexio; quum vero inf$^{us}$ etsi articulo auctus non nisi speciem nominis induerit neque unquam verae germanaeque substantiae vim contineat, neutrius tantummodo generis significationi locus esse potuit, itemque pluralis numeri signum abest. [10]) Romana autem lingua quum inf$^{o}$ nulla ex parte definito nominis naturam attribuere nollet, ut articuli inopiae mederetur et novas formas, quibus non solum verbi vis, sed etiam substantiae cujusdam auctoritas inesset, sibi vindicaret, participio usa est. Nam Romanis, qui mera inf$^{i}$ natura, quam esse verbalem notum, non contenti notionem ejus nulla ex parte esse definitam, quippe quem numerus casusque et genus deficiat, non ingnorabant, species quaedam sermonis opus esse videbatur, quae tamquam transitum a verbi facultate ad substantivi abstracti naturam praeberet. [11])

---

[10]) Inf$^{um}$ graecum quum articuli appositione substantivi verbalis condicionem quandam recipiat, vim inf$^{i}$ et notionem quodammodo egredi manifestum saepissimeque de ea re disputatum est. Cf. Humb. l. l. p. 74 sq. 89. 90. Schmidt pp. 10—16. Mohr de inf. hist. pp. 14—17. Dahleke de inf. Horat. p. 7 sq. Nihilominus quamvis haud dubie articuli auxilio apud Graecos species nomini cognata enasci potuerit et in illius locum Latina lingua alias formas composuerit, inf$^{um}$ Latinum substantivum verbale proprie non fuisse tenendum est.

[11]) Gerundia et supina, quae transitum illum aperiant, non minus a verbo ipso quam a nomine distnre nemo nescit. Sed de ea re quum alii et ex mea quidem opinione suo jure gerundiorum supinorumque originem e participio esse petendam censeant, alii formas illas inf$^{i}$ vicarias nonnisi inf$^{os}$ ipsos esse linguae Sanscriticae ratione habita contendant, certi aliquid nondum afferri potest. Ex participio gerundium ortum esse inprimis ii negant qui cognatarum linguarum peritos esse sese profitentur, quamquam Boppius, pater linguae comparativae, gerundii suffixum „-on-do" (-un-do, -en-do) enatum esse e participii activi suffixo „-ont, -unt, -ent" littera „o" adjecta dixerat. (Conjug. syst. p. 115. et Vergl. Gr. III. p. 183. ed II.) De ea re explicate egit Corssen Crit. Beitr. zur Lat: Formenlehre p. 120., qui Boppi sententiam multis aliis consentientibus refellit. — Nomen gerundii, quod inde a Prisciano III. p. 409. Hertz. in usu est, per se satis obscurum et incertum removere tentavit Kraut. Zur Lehre vom Gerundium. Heilbr. p. 10., novum neque ineptum nomen pro-

His quae opus erant, de infi notione constituenda in universum disputatis jam ad rem ipsam accedere licet, ut usum Taciteum infi, quem tripartitum esse volui, explicantes deinceps de infinitivo historico, infinitivo nudo, accusativo cum infinitivo quaeramus. [12]) Hoc vero ante omnia mihi propositum putavi, ut simplicissimis sermonis ex originibus profectus, quomodo infi usus sit ortus et amplificatus, ratione ac via exponam.

Ex his quae de infi natura in universum disputavimus, apparet eum quamvis propter similitudinem gerundii et supini ad nominis substantivi facultatem accedere videatur, non tamen ut substantivum verbale usurpari posse. Sin autem facere non possumus, quin ei vim verbi ipsius vindicemus, alia oritur difficultas, quoniam infum omni definitione carentem videmus. Quamquam igitur ante omnia opus fuisse videtur, ut non minus ex aliarum linguarum quam Latini sermonis consuetudine infi notio additamento aliquo certius definiretur, tamen species quaedam infi in usu est, qui et modi et numeri temporisque significationes tamquam supervacuas abjecit. Dico

## Infinitivum historicum.

De quo miro Latinisque solis usurpato loquendi genere quamquam diligenter et accurate a viris doctis quaesitum est, [13]) tamen tantum abest ut notio ejus distincte explicata sit, ut sensu magis quam judicio percipi possit. Jam si quae sit infi h. ratio quaeramus, hoc ante omnia tenendum videtur, notionem infi h. arctissime

ponens quod est adjectivum verbale. Vid. Corssen Crit. Nachtr. zur Lat. Formenlehre. p. 151. Alia nomina pristinis grammaticis usurpata collegit idem p. 152. Eadem nominis notionisque fluctuatio etiam in supinis cernitur. Supina enim, quod nomen saepius gerundiis confundebatur, participialia i. e. participiis similia esse aut adverbia vetustiores grammatici censebant, alii in participiorum, alii in infinitivorum numero habebant; optime omnium in nomina retulit Priscianus VIII. 8. §. 47., quam sententiam nostra aetate fere omnes sequuntur. De ea re cf. Richter de supinis linguae Latinae partic. I. §. 7.

[12]) In exemplis laudantis editionem Fr. Haasii secutus sum; ita quidem ut numeri nude positi Annales, cum H. G. A. D. litteris cetera Taciti opera monstrent.

[13]) Cf. Haasium ad Reis sch. adn. 599. Adde: R. Mende de inf. h. ap. scr. Lat. Bregae 1845. gymn. pr. F. C. Spiess disp. gr. de inf. h. cet. Thermis Mattiacis 1847. g. pr.

conjunctam esse cum inf$^{i}$ illus legitimi et pendentis natura, quocirca ex inf$^{i}$ natura profecti usum historici deducamus necesse est. Qua de causa, si ea quae supra de inf$^{o}$ sunt disputata recordemur, apparet qui inf$^{um}$ h. substantivi vim subire enunciato sine copula adjunctum censebant, [14]) eos a vero aberrasse. Nec non ii errare mihi videntur, qui grammaticorum veterum revolventes sententiam ellipsis auxilio constructionem hanc quasi manibus deprehendere se putabant, [15]) quamquam in universum negari nequit ellipsi probata multorum locorum explicatius interpretandorum remedium commodum esse inventum. Verumtamen longe aliud esse locum quendam ex alia in aliam linguam transferre, aliud legibus grammaticis illustratum reddere neminem opinor fugere potest. Neque ulla ex parte inf$^{o}$ h. satisfacere potest eorum sententia, qui hanc dicendi consuetudinem utpote archaismum ex antiquissimis linguae originibus explanare studuerunt. [16]) Itaque quum nondum allatum esse videatur, quod rem satis explicatam redderet, h. l. quaestioni subdifficili aliquantum inquiescendum est, qua ratione usus inf$^{i}$ sane singularis ex ingenio sermonis intelligendus sit.

Num inf$^{us}$ h. notioni quam inf$^{o}$ attribuimus, repu-

---

[14]) Krueger g. l. §. 447 adn. 1. Billroth g. l. §. 258.

[15]) Quinct. VIII, 6.21. inst. or. Prisc. XVIII, 4. 48. vol. II. p. 125. Kr.; Donat. ad Terent. Hecyr. I, 2. 91. Sanct. Min. tom. II. p. 211. sq. Gernh. Voss. Arist. VII, 19. Ruddim. II. p. 9. Bonnel. in censura Prahmii: Versuch ueb. d. Wesen d. h. Inf. (vid. Annal. Jahnii. 1829. II. p. 199).

[16]) H. L. O. Mueller. de usu atque natura inf. h. Cellae 1833. p. 16. Schadelock. de verb. temp. p. 101. M. Schmidt. l. l. p. 64. Wagner. in exc. 33. ad Virg. vol. IV. sic disserit: „Antiquissimis temporibus verbo nondum per tempora modosque digesto, solo utebantur inf$^{o}$, quae ratio loquendi, ut est balbutientis infantiae, ita hodieque invenitur apud populos quosdam rudes et barbaros, retenta interdum illa a cultioribus populis, nec in concitatiore solum, sed etiam in sedata oratione.“ Haec vero sententia, qua inf$^{um}$ h. e puerili loquendi modo profectum esse fingitur, veritatis ne speciem quidem prae se ferre videtur; nam neque ut sermonem adultorum loquelae infantium ortum debere quis sibi persuadeat fieri potest, nec facile est intellectu in antiquissima cujuscunque populi lingua inf$^{um}$ propter formarum penuriam modi finiti locum subiisse Inf$^{um}$ h. vero ex archaismo explicandum esse nec facile creditur neque nde probari potest, quod Sallustium et Tacitum, qui voces insolitas isaepe et archaismos captarent, in eo adhibendo multos fuisse notum sit.

gnat? Minime. Notionem enim actionis inf$^{o}$ indicatae incertam tripartita ratione vel conditione esse percipiendam arbitror, unde simul tres ut vocant constructiones emanarunt. Quarum simplicissima et primaria ea jure existimatur, quae existit verbis auxx. formae inf$^{i}$ puri se conjungentibus. Quodsi inf$^{i}$ natura non nisi ex forma finita verbi intelligi et deduci potest, consociatione formae finitae et infinitae speciem quandam finiti verbi gigni dicendum est. (Quam legem etiam nominativi c. i. constructione confirmari infra videbimus.) Haec quidem notio composita de subjecto aliquo praedicatur. Deinde altera formula orta est, quum notioni inf$^{i}$ generali accusativo addito majorem quasi confirmationem impertire lingua studeret. Vinculum, quo hujus inf$^{i}$ species cum verbo regenti cohaeret, etsi non sublatum, tamen aliquantulum remissum est, quoniam inf$^{o}$ soli facultas de substantia aliqua praedicandi obvenit. Haec est constructio accusativi c. i. Denique tertium genus reperitur in infinitivo historico, qui mihi quidem ex confusione earum quas modo attulimus constructionum ortus esse videtur. Ab accusativo c. i. enim facultatem de subjecto aliquo aliquid praedicandi assumpsit, nudi inf$^{i}$ constructio in eum detulit relationem quae ad certam substantiam casu nominativo expressam transfertur. Differre autem inf$^{um}$ h. et ab inf$^{o}$ puro et ab accus$^{o}$ h. liquet. Etiam si praedicandi rationem spectas, differentia cernitur, quippe quum inf$^{o}$ puro praedicatio certa, inf$^{o}$ h. incerta generalisque contineatur. Ab accusativo c. i. autem iuf$^{us}$ h. ita discrepat, ut accusativum c. i. e ratione quae vocatur objectiva profectum esse, inf$^{um}$ h. perceptione subjectiva niti existimemus.

Ita cum notionem inf$^{i}$ h. quaeque ratio inter eum intercedat et cetera dicendi genera inf$^{o}$ formata, exposuerimus, si dicendi hoc genus, quod regulis grammaticis repugnare videtur, vulgarem in modum transformare velis, inf$^{o}$ h. perinde ac verbo finito praedicari aliquid de subjecto aliquo apparet. Sed si inf$^{i}$ h. hanc vim, quamvis in omnibus omnium temporum scriptoribus saepius inveniatur, certis legibus coerceri manifestum est, modus, quo praedicatur, non potest non esse germanus ac Latinis proprius. Nam cum notio verbalis munere praedicati fungens subjecto absolute adjungatur, ex hac

ipsa conjunctione subjecti et praedicati, quae audientes arctissime conglutinata cogitabant, nudam hanc enunciationis etsi usitatum loquendi genus deserentis materiem mentem audientis non frustravisse concludendum est; unde etiam apparet inf$^{um}$ h. non minus e studio quodam scriptorum quorundam quam ex ingenio linguae esse profectum. Origo enim hujus sane singularis dicendi generis tum in breviloquentiae studio, quae praecipue causa inf$^{i}$ h. haberi solet, quum in indole ac natura rerum enarrandarum est quaerenda. Subtiliter igitur Mueller l. l. p. 21. judicasse mihi videtur cum dicit: „Animus scriptoris ubi rerum praeteritarum speciem denuo in animum induxit, in media rerum turba ita movetur et afficitur, ut ea tantum quae aguntur, et eum qui agit, attendere et cognoscere possit. Quae in oculos incurrunt et prae ceteris magnitudine sua et gravitate sensus alliciunt, haec praecipue curat, reliquas res, quae actionem primariam circumsistunt, qualia sunt temporis et loci, causae et effectus momenta, prorsus negligens.“ Hanc quidem non inf$^{i}$ propriam esse virtutem, ut nonnulli putant, sed ellipticae structurae, sane perversa est et absurda opinio; nam ellipsi sumta tantum abest, ut vis et gravitas hujus dicendi generis explicatae sint, ut cohaerentia rerum enarratarum debilitetur. Veterum quoque grammaticorum auctoritas, qui testes provocantur, nihil probare potest, quum eosdem inf$^{um}$ h. etiam per enallagen pro imperfecto accipere solitos esse sciamus. Haec quidem figura nec non antimeria, ad quas inf$^{um}$ h. retulerunt quidam, plane rejiciendae videntur.

Quaeret autem quispiam, cur nonnisi praesentis temporis formae adjunctum esse videamus inf$^{um}$ h.? Quam quaestionem accurate consideranti facile apparet tribus momentis vel spatiis tempus designari, praeterito, futuro, praesenti, quorum praesens incertissimum celerrimeque praeterfluens sensu quidem, non cogitatione comprehendere queas. Quocirca inf$^{o}$ quoque praesentis inesse hanc infiniti temporis notionem apparet. Historici igitur qui ad eandem naturam est formatus inf$^{i}$ ea est virtus, ut omni certi temporis notione destitutus sit; nam quum in solam actionem legentis mentem vertere scriptori in animo est, non curat, quo temporis momento actio relata ant inchoata aut finita cogitetur.

Quamvis inf$^{um}$ h. absolute positum haud aliter expleri posse nisi finiti verbi forma contenderimus, tamen vicarias formas, quas esse praesens, imperfectum, perfectum notum, eodem munere non ad eundem modum fungi dicemus; nulla enim quamcunqne posueris normam, ab omni parte inf$^{o}$ h. satisfaciet, quum mutatis verbi formis etiam orationis colorem naturamque immutari pateat. Itaque non quo cujusquam historici temporis loco inf$^{um}$ h. poni posse existimemus, sed eximiam inf$^{i}$ h. virtutem illustraturi quidnam differentiae sit inter inf$^{um}$ h. et reliqua narrandi tempora, paucis exponamus. Primum ex iis praesens h. in disceptationem vocatur, quod ad naturae similitudinem inf$^{o}$ h. proxime convenit; praesenti h. enim tempus praeteritum tamquam praesens designatur, et cum tempus praesens nil nisi momentum sit, praesenti h. res remotae sensibus repraesentantur et singula tantum momenta ita enarrantur, ut aliud aliud subsequatur. Neque imperfectum inf$^{o}$ h. par esse potest, quippe quod actiones per tempus aliquod durantes vel iterata momenta describat. Denique etiam inf$^{us}$ h. a perfecto h. differt, quod id solum, quod jam praeteritum vel absolutum est, enarrat. Perfecto igitur et imperfecto, in quibus simul tempus actionis relatae a tempore scriptoris narrantis diversum est, nonnisi simplex actionis praeteritae relatio denotatur; praesenti praeterita tamquam quae nunc ipsum aguntur, jam vividius, quum sensuum perceptione opus sit, enarrantur. Inf$^{us}$ vero h. neque momenta neque spatia significans singularum rerum seriem adumbrat vel complures velut in unam imaginem complectens tamquam peculiare dicendi genus vulgarem loquendi rationem excedit. Quodsi haec de quibus disputavimus verbi tempora aliud alia ratione narrandi officiis fungi videmus, consectarium est, quantopere orationis breviloquentia ac concinnitate potissimum inf$^{us}$ h. moveat legentis mentem, qui periodum forma legitima atque usitata carentem quasi intentioribus oculis majoreque studio lustret. [17])

Itaque inf$^{us}$ h. mirumquantum historicis placuit, qui eum in depingendis moribus hominum usurpari solebant.

---

[17]) Ramsh. g. l. §. 168. 5. p. 636. Guil. Otto g. l. §. 195. Bonnel. l. l.

Quam apte Tacitus, hujus generis narrandi studiosissimus, ad actiones graves enarrandas inf° h. usus sit, ex his ferme exemplis intelligas: H. I, 45. „ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum; quantoque . . tanto plura fecere.“ H. III, 74. „dux segnis . . non lingua, non auribus competere; neque alienis consiliis regi, neque sua expedire; huc illuc clamoribus hostium circumagi, quae jusserat, vetare, quae vetuerat, jubere.“ A. 38. „Britanni palantes . . trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras et statim relinquere; miscere invicem consilia, dein reparare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari.“[18]) Sic inf° h. virtutes moresque hominum maxime efferuntur et quasi aspectui legentium subjiciuntur: A. 5. „sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil adpetere in jactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere.“ 19. „non studiis privatis . . centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare . . omnia scire, non omnia exsequi.“[19]) Persaepe scriptor inf° h. consilium idque malum, quo quis quid egerit, significat: A. 42. „ac primo occultius quidem quietem et otium laudare, mox operam suam in adprobanda excusatione offerre.“ 18. „ac quibus bellum volentibus fuit, probare exemplum ac recentis legati animum opperiri.[20]“) Inprimis suo jure locum habet inf^us h. in rebus gestis, quales sunt pugnae, caedes, oppugnationes, conjurationes, animorumque affectibus pingendis, veluti in timore: HH. I, 81. II, 29. 41. III, 36. in pugna: A. 36. (supr.) H. II, 35. — in militum seditione: I, 16. HH. II, 18. IV, 34. (fin.) 84. (med.) vel licentia: IV. 48. HH. II, 56. III, 33. 49. 76. 84. Deinde si res gestae a scriptore cum indignatione referuntur: XIV., 15, I, 4. 7. 11. H. H. I, 68. III, 33. 49. 63. 76. IV, 2. 11. 70. Etiamsi plures inf^i h. deinceps sequi solent, tamen haud raro

---

[18]) Similes loci sunt: HH. I, 35. 36. III, 18. IV, 29. 62. A 37.

[19]) Cf. A. 20. 21. HH. I, 46. 50. 85. II, 5. 19. III, 53. 60.

[20]) Item: II, 29. XIII, 13. 14. 44. (infr.) XVI, 8. 23. I, 21. 25. 28. IV, 28. XII, 65.

singulis Tacitus utitur inf$^{is}$, quum actionem graviorem, quae rebus nimoris momenti addita est efferri vult: A. 18. „ita clarus ac magnus haberi Agricola.“ I, 19. „sed superbire miles.“ 34. „Sed Germanicus tanto impensius pro Tiberio niti.“ 46. „At.. trepida civitas incusare Tiberium.“ II, 5. „at ille tractare proeliorum vias.“ 55. „Sed Caesar adesse frequens senatui legatosque .. audivit.“ Quae exempla sufficient, reliqua quaer. II, 59. IV, 12. XIII, 5. 40. IV, 69. HH. I, 71. II, 19. 84. III, 50. IV, 42. 55. 81.

Praeter exempla modo allata aliorum magna copia obvia fit, in quibus inf$^{us}$ h. non tam ad vehementiam actionis describendam quam ad actionem ipsam breviter complectendam usurpatur. Existit igitur alterum inf$^{i}$ h. genus, cui ea exempla sunt adscribenda, quibus actiones quae aut per se aut ex scriptoris sententia minoris sunt momenti per breviloquentiam quandam simpliciter referuntur. Huc traho: XIII, 3. „Nero .. animum in alia detorsit: caelare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere.“ II, 52. „is mox desertor vagos primum et latrociniis suetos ad praedam .. congregare, dein more militiae .. componere, postremo .. dux haberi.“ 64. „mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data et resistenti vim facere, .. enimvero .. inmittere latronum globos, excindere castella, causas bello.![21]) Sic ex hoc referendi genere militari stilus ut ita dicam compendiarius factus est historiae rerum bello gestarum conscribendae aptissimus. E. g. XII, 14. „Ceterum Gotarzes .. flumine Corma pro munimento uti, et .. nectere moras, locos mutare et .. hostes emercari.“ 54. „igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias et aliquando proeliis congredi, spoliaque .. ad procuratores referre; hique primo laetari.“ H. II, 12. „tanquam . . urbes hostium urere, vastare, rapere.“ 35. „desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros aut cominus mergere.“[22])

Jam vero inf$^{i}$ h. usus non ad vulgarem modo stru-

[21]) Pariter I, 16. 65. II, 57. III, 45. 46. XII, 12. 15. XIII, 13. 14. HH. I, 46. 50. 85. II, 6. 19. III, 53. 60. A. 5. 19. 20. 21 27.

[22]) Item III, 20. IV, 51. VI, 39 (33). 41 (35). XIII, 37. H. III, 25. H. IV, 29 (infr) H. V, 22.

cturam hucusque explicatam, qua principalium enunciatorum formae accommodatur, pertinet, sed etiam particulis adjunctus latius patet. Saepissime „quum“ particula cum inf° h. posita occurrit, qua exprimitur novi aliquid vel insoliti fieri, quasi non tam relativa partic. „quum“, quam demonstrativa ei respondens „tum“ praecederet. Exempla sunt haec: IV, 50. „incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari . .“ VI, 50. (44). „jamque . . adventabat, cum Tiridates . . distrahi consiliis.“ XIV, 5. „nec multum erat progressa navis, . . cum dato signo ruere tectum tholi.“ XI, 34. „et jam erat in conspectu Messalina, . . cum obstrepere occusator.“ cf. II, 31. 40. H. III, 31.[23]) — Eandem analogiam secutus Tacitus eo progressus est, ut etiam in „ubi“ conjunctione aliisque temporalibus inf[i] h. usum sibi permitteret: „ubi“ II, 4. „Sed ubi minitari Artabanus.“ XII, 51. „ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare.“ H. III, 10. „ubi condescere seditio et . . transibant.“ XI, 37. „quod ubi auditum, et languescere ira, redire amor, et . . timebantur.“ VI, 25. (19). „ubi fluitantia aut ripis adpulsa (corpora) non cremare quisquam, non contingere.“ „ut“ H. III, 31. „ut praeberi ora contumeliis et . . patiebatur, subit recordatio.“ „postquam“ III, 26. „at postquam exui aequalitas et . . ambitio . . incedebat.“ „donec“ XIII, 57. „donec . . agrestes quidam . . saxa jacere.“ Minus ab usitata loquendi genere recedere videtur inf[us] h. apud pronomen relativum, quod demonstrativo suo respondet: H. I, 53. (e quibus). 81. (qui). H. III, 63. (quibus). H. IV, 84. (qui). Similiter inf[us] h. intelligitur in his adverbiis relativis: H. IV, 80. „unde paulatim levior viliorque haberi.“ G. 7. „unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium.“[24]) A. 34. „quomodo . . fortissimum quod-

---

[23]) Quibuscum conferri possunt quae Kritzius ad Sall. Jug. 98, 2. e Livio affert ejusmodi exempla.

[24]) H. l. Ritterus ad Tac. Germ. 7. audacins quam verius contendit, quum „unde audiri“ turpi et manifesto soloecismo positum esset, „audiri“ ipsum pro glossa habendum esse a lectore semidocto supra versum perantiqui codicis adscripta, ab aliis in contextum ascita. Haec quidem sententia plane rejicienda est. Ritterus enim „audiri“ verbum vocibus „vagitus infantium“ pariter subjungendum esse nesciens novam notionem in altero membro: „venit, pervenit“

que animal contra ruere, pavida et inertia . . pelluntur, sic."[25])

Quamquam infum h. ad actiones vividius celeriusque enarrandas potissimum usurpari vidimus, tamen accuratius observantem fugere non poterit in info h. adhibendo audacem ac paene violentum fuisse Tacitum, ut nonnunquam modum excessisse videatur. Quod ita esse non modo ex usu particularum adjunctarum, verum etiam inde intellexeris, quod singulari quadam licentia infum h. de industria posuit, ut certas quasdam summi momenti res fieri coepisse vel ad finem quendam paulatim pervenire designet. Probatur hoc exemplis, quibus insuper „paulatim" vocula addita est: H. IV, 67. „resipiscere paulatim civitates, fasque et foedera respicere." 83. „sed Ptolomaeus . . neglegere paulatim aliasque ad curas animum vertere." Cf. I, 28. IV, 2. 49. H. III, 31. 58. H. IV, 80. Eandem infi h. naturam agnoscere aliis exemplis queas, ubi facere non possumus, quin nostrae vernaculae linguae rationem habentes notionem aliquam

---

(sc. ad aures pugnantium) vel „penetrat" supplet, quam per concinnitatem sermonis Tacitini in priore membro cogitandam esse dicit. Sin autem facere non potuit, quin notionem quamquam suppleret, quae simplicior, quae magis necessaria esse possit quam audiendi notio non intelligo. Huc accedit, quod „ad aures pervenire" nihil aliud est nisi „audiri." Neque alii sibi deesse voluerunt, quin huic sanissimo loco medicinam afferrent; sunt qui „est" supplerent, nonnulli „audiri" verbum per ellipsin „solet" explicuerunt, sunt denique qui „unde audiri" pro „ut inde audiatur" acciperent. Verumtamen quum neque sermo Tacitinus neque natura ipsa loci obstent, quin „audiri" pro vero info h. accipiatur, in hoc ipso loco adquiescamus.

[25]) Parum loci naturae consulunt Selling. et Rothius ed. Agr. exc. 33. 2. et Kritz. ad loc. qui „ruere" perfectum esse putabant. „Ruere" autem h. l. infum h. esse Ritterus omnino negat, cum diceret, „ruere" pro „ruere solet" positum notionemque „solet" e proximo verbo „pelluntur", quod valeat „pelli solent," petendam esse. Quamvis „solent" notionem infitiari noluerim subaudiendam esse in verbo „pelluntur," quod quum certa temporis significatione h. l. egens latius patere per se constet, tamen „ruere" pro vero info h. accipere non dubito. Si vero Ritt. addit, potuisse Tacitum adhibere per licentiam quandam infum, primum quod notionem „solet" proximi enunciati praedicatum suggesserit, tum quod a structura libera statim ad legitimam et solitam reversus sit, infi h. usum h. l. pari licentia admissum esse non nego. Quod oratio ex info h. repente in tempus praesens transit, offendere nequit, quum ejusdem temporum variationis haud exigua exempla reperiantur, veluti XII, 51. XV, 27.

(posse, coepisse, similemve), infinitivi ipsius natura non adversante cogitando suppleamus: XIII, 3. „postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare.“ 18. „at matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam.“ Similiter XIV, 15. „inde gliscere flagitia et infamia.“ XI, 16. „jam longius clarescere, cum . .“ I, 3. (vergere). 5. (gravescere). XIII, 46. (gravescere). XII, 35. (decedere).

Denique nihil restat nisi ut leviter perstringamus, quomodo inf^us h. in sententiarum conexu sit positus et quibuscum similibus temporibus narratoriis copuletur. Inf^um h., licet media in narratione creberrimum, et initio et fine periodi certe in Tacito occurrere neque quidquam esse differentiae, utrum tempus historicum sive hoc sive illud subsequatur inf^us h. an antecedat, perfacile est intelligere. Saepe enim, seu res postulat, seu lectoris mentem varietate sermonis captare scriptor studet, imperfecto et perfecto descriptionem ordiri, exinde inf° h. paulatim majore impetu continuari, denique sedato cursu in orationem vulgarem redire videmus. Sic narratio abit ex inf° h. vel in imperfectum: I, 4. 16. 71. V, 4. VI, 56 (50). XI, 12. 31. XIII, 57. H. II, 42. 52. 56. 70. H. III, 17. 49. 73. 84. vel in perfectum: III, 20. IV. 49. 55. XII, 54. XV, 15. (infr.) 38. A. 42. H. II, 82. H. III, 17. vel in praesens: I, 21. 28. VI, 27 (21). 39 (33). XII, 51. XIII, 54. XV, 27. H. II, 86. H. IV, 34. Praeterea quod ad genus verbi spectat, non mirum esse debet, quod inf^us h. non solum forma activa, sed etiam unaquaque verbalis generis significatione haud raro invenitur. Huc accedit, quod structura inf^i h. nonnunquam particulis temporalibus additis variatur et distinguitur. Denique in fine hujus commentationis adjicere liceat, subjectum quod inf° h. subsit, aliud in alius loco succedere nec solum personis, sed etiam rebus formari. Hactenus de inf° h.

## De infinitivo qui vocatur nudo.

Postquam inf^i usum, qui quasi absolute subjecto adjunctus videbatur, exposuimus, jam de eo inf° quaerere licet, qui e verbo regenti est suspensus. Antequam vero hunc pendentis inf^i usum ad communem unde manavit fontem reducamus, non possumus non in quaestionem

incidere, num Romani naturae verbalis rationem habentes in inf$^{i}$ usu semper sibi constiterint. Posterioris aevi scriptores graeci inf$^{i}$ rationem imitari et amplecti incepisse, qui articulo adjecto pro vero quod vocatur substantivo abstracto usurparetur, negari non potest nec mirum est, quum fere uuaquaeque lingua paulatim eo perveniat, ut notiones abstractae conformentur.[26] Verumtamen quum Ciceronem hunc perraro usurpasse et „ipsum“ pronomine apposito plerumque disertius definivisse sciamus, istum inf$^{i}$ usum a sermone Latino proprie alienum fuisse, censendum est. Neque aliter de Tacito judicandum est, qui inf$^{um}$ cum praepositionibus junctum nunquam posuit, sed meram inf$^{i}$ notionem, quam esse verbalem notum, constanter servavit.[27] Quodsi non minus in Tacito quam in ceteris omnibus scriptoribus inf$^{i}$ usum eum, qui nominis substantivi vim et facultatem induisse videtur, limitibus arctissimis circumscriptum esse consentaneum est, latissimum campum inf$^{i}$ usui patefieri videmus verbalis. Quoniam inf$^{us}$ incertissimum enuntiati signum existimandum est, nulla ad eum definiendum magis idonea est quam finiti verbi forma. Itaque infiniti verbi formae i. e. inf$^{o}$ significatio quaedam addi debuit, qua id quod ei defuit, quasi suppleretur. Quod munus verba auxiliaria explerunt. Si igitur inf$^{i}$ notio verbis auxx. accuratius definita verbi finiti facultatem suscepit, simul omnes virtutes, quae modi, personae, temporis significatione continentur, actioni inf$^{o}$ indicatae impertiri videmus.

Effectio actionis cujusdam modis verbi in universum

---

26) Super ea re cf. Haase l. l. adn. 601.

27) Perpaucissima tantum in Tacito repeiiuntur exempla, in quibus actionem inf$^{o}$ indicatam simul in notionem quasi substantivam esse immutatam fortasse quispiam dixerit. Sunt fere haec: XV, 20. „nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est“ II, 38. „non enim preces sunt istud, sed efflagitatio . . consurgere et . . urgere modestiam senatus.“ A. 30. „auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium appellant.“ 18. „expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse.“ — Exempla autem, quae Boettich. in lex. Tac. s. v. infinitiv. super ea re affert, aut omnino huc non trahenda sunt, aut perverse explicantur, veluti H. II, 82. „sufficere videbantur . . pars copiarum et . . Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis (sc. esse)“, quae verba si huc quadrarent, ad verbum „sufficere“ referri deberent ut subjectum casu nominativo expressum; revera autem pariter ac „sufficere“ ipsum etiam „nihil arduum“ per figuram ἀπὸ κοινοῦ e „videbantur“ pendet.

significatur, itaque cum dico „Cajus scribit," subjectum adest, ad quod simplex actio scribendi simpliciter refertur. Eadem actio accuratius definitur aut adverbio aut verbo aux. adjectis. Ubi dicitur „Cajus saepe scribit" aut „C. solet scribere", utraque forma de Cajo actio, quae in subjecto apparet, hic verbo finito, illic adverbio praedicatur. Sed ratio, quae inter utramque locutionem intercedit, non eadem est; nam cum dico: „C. saepe scribit", effectioni actionis nihil nisi signum externum adjicitur, ratione quae est inter Cajum et actionem non mutata. Ubi vero dicitur „C. solet scribere", definitio quam „scribit" verbum prius habebat in notionem „solet" transiit et notio ipsa verbalis modo personaeque et temporis significatione destituta formam infinitam i. e. inf^um^ suscepit. Hinc sequitur ut cum actio ipsa a subjecto recedere videatur, consociatio quae inter subjectum et praedicatum cernebatur, quasi tollatur. Apparet enim primo loco conecti subjecto „solet" notionem, nnde pendeat actio inf^o^ indicata. Nihilosecius tantum abest, ut inf^um^ nnonnisi adminiculum esse verbi finiti credamus, ut verbum aux. „solet" eatenus tantum praedicari, quatenus ad actionem ipsam „scribere" pertineat, pro certo habeamus. Itaque fit, ut ex verbo aux. et actione inf^i^ notio quasi nova componatur, quae cum praedicatum et copulam contineat, facillime ad subjectum adnectatur. Eodem quo „solere" verbum munere funguntur „velle, posse, debere"; quibus ex facultate actionem inf^o^ significatam artius definiendi nomina diversa dederunt viri docti, quorum alii verba auxiliaria, alii imperfecta vel relativa vocaverunt Equidem periphrasticorum nomen iis tribuerim ea causa inductus, quod periphrasin actionis quae inf^o^ exprimitur continent. Simplicem autem verborum periphr. vim in dies magis amplificatam esse, copulatione cum inf^o^ non remissa, jam inde concludas, quod inf^us^ deversis in condicionibus versatur, e quibus actio ipsa agnoscitur. — His in universum praemissis ad recensionem exemplorum, quae nubis instar usus Taciteus exhibet, aggredi licet; in qua eam rationem tuebimur, ut primo loco verba personalia apponamus, quibus participia quae eorum vim integram servant adjungemus, altero verba imperss. enumeremus, quibus absolutis adverbia cum notione „esse" posita, tum adjectiva, deni-

que substantiva cum eodem verbo „esse“ juncta addemus.

## I. Verba personalia cum infinitivo juncta.

### A. quibus inest notio volendi.

Facultas actionis efficiendae cum ante omnia ex voluntate hominis suspensa sit, verba volendi in fronte posuimus et ea quidem 1. a. in quibus persona agens est eadem ac volens. — Notio ipsa volendi multiplici modo exprimitur, nam majore minoreve voluntate quis sibi proponere potest, ut aliquid agat vel assequatur. Volo. malo saepissime. Semel participium verbi „velle“ positum est: H. III, 43. „remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.“ α. Ad verbi „velle“ notionem proxime accedunt haec: meditor IV, 40. „Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est.“ agito I, 18. II, 4. 82. statuo (21 loci). constituo XIV, 3. D. 11. instituo III, 65. H. V, 5. D. 35. XIII, 17. Quibus adnumeranda sunt: destino VIII, 19. „destinavisse eam Rubellium Plautum . . ad res novas attollere . .“ 20. concipio II, 39. „servus . . pergere in insulam . . et . . Agrippam ferre ad exercitus . . concepit.“ compono III, 40. „componunt Florus Belgas, Sacrovir . . Gallos concire.“ pango XI, 9. „pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere.“ XIV, 31. — β. Voluntas agendi fluctuat inter metum et spem rei efficiendae in hisce: audeo (27). ausus (19). conor II, 17. 68. tempto II, 81. XII, 22. H. III, 54. 82. occipio I, 39. „vexillum . . flagitare occipiunt..“ — γ. Effectio actionis multo certius denotatur verbis his: paro (18). quaero G. 2. „sedes mutare quaerebant.“ aggredior III, 53, XII, 31. H. IV, 6. D. 17. accingor XV, 51. adorior A. 25. „oppugnare ultro castella adorti.“ coepi II, 38. IV, 1. XIV, 60. XV, 67. H. I, 44. H. IV, 14. A. 36. 37. Inf° praes. pass. sequente: I, 34. III, 15. IV, 63. H. I, 15. H. III, 34. coepto H. II, 29. H. III, 10. 81. H. V. 10. incipio XV, 4. XI, 7. H. V, 25. A. 32. auspicor D. 11. „et ingredi famam auspicatus sum.“ pergo XI, 4. „pergitque . . addere.“ — δ. Subjectum inclinatione quadam facultatem actionis efficiendae persequitur. Verba

quae huc spectant studium rei propositae exprimunt: tendo I, 19. intendo XI, 32. „ire obviam et aspici a marito . . haud segniter intendit“ H. II, 12. 22. A. 18. contendo XV, 46. certo H. III, 61. aemulor H. II, 62. „aemulabantur corruptissimum quemque . . inlicere.“ nitor II, 54. H. I. 88. H. IV, 70. H. V. 20. I, 64. adnitor I, 47. H. V, 8. connitor XV, 42. 51. incumbo H. II 10. „incubuerat delatorem . . pervertere.“ [22]) propero I, 51. „properarent culpam in decus vertere.“ VI, 13 (7). H. II, 24. H. III, 2. festino II, 77. D. 3. „maturare libri hujus editionem festino.“ maturo H. IV, 34. 70. H. V, 18. insto XI, 34. „instabat quidem . . aperire ambages et veri copiam facere.“ persisto III, 70. „perstititque intercedere.“ IV, 38. XIV, 60. persevero H. III, 39. — ε. Inclinatio multo major apparet in verbis cupiendi et postulandi: cupio XIV, 16. 29. „receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. concupisco XVI, 21. H. II, 70. aveo IV, 71. „avebat animus antire statimque memorare exitus“ XI, 10. XII, 36. opto D. 9. „quibus totam vitam . . insumere optat“. praeopto H. IV, 58. Similiter gaudeo H. III, 11. „iterare culpam gaudebant.“ dignor IV, 53. „Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur.“ H. IV, 81. D. 9. exposco XIV, 13. „simul praegredi exposcunt.“ deposco H. III, 19. „pergere Cremonam et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt.“ b. Ex notione „velle“ oritur verbum „nolle“, quod comprehenditur verbis his: α. Declinatio quaedam hominis voluntatem retinet, quocirca dubitat vel timet agere: dubito IV, 57. XII, 46. cunctor I, 6. H. IV, 2. timeo H. III, 9. D. 13. vereor D. 27. paveo G. 7. „nec illae numerare aut exigere plagas pavent.“ erubesco VI, 29 (23) „non erubuit permittere ultroque accusare casus.“ XIV, 43. — β. Declinationem augescentem haec verba designant: recuso XV, 24. abnuo I, 13. IV, 56. H. IV, 35. aspernor IV, 46. dedignor II, 34. „ut testis . . venire dedignaretur.“ 45. XII, 37. — γ. Si declinatio ita aucta est, ut voluntas agendi fere nulla sit, pervenimus ad verba desinendi: omitto IV, 40. 68.

---

[22]) Cf. Virg. G. IV, 281.

„neque enim omiserat conjugem liberosque ejus percolere" XV, 57 XVI, 9. H. III, 63. A. 1. desino I, 13. „ut negare et rogari desineret." XV, 74. H. I, 16. A. 32. D. 15. desisto H. IV, 41. „nec destitit senatus manus intentare Voculae." D. 25. intermitto D. 4. supersedeo XV, 63. „quae . . ejus verbis invertere." desum H. I, 36. nec deerat Otho . . adorare vulgum, jacere oscula." H. III. 58. H. IV, 11. 1. 80.

2. Effectio actionis cujusdam non solum in ea substantia, ad quam actio inf° significata ipsa refertur, posita est, verum etiam in alteram substantiam transferri vel translata cogitari potest, ita ut substantia actioni subjecta voluntatem agendi in altera persona efficiat et excitet. Id genus verba sunt quae causativa vel factitiva nuncupantur. Sic e sententia „volo agere" oritur „facio te volentem agere", i. e. „hortor te agere." Huc referenda sunt: α. hortor XI, 16. „hortatur gentile decus magno animo capessere." XV, 69. „hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque . . temptare." XVI, 34. VI, 43 (37). cohortor XII, 49. moneo IV, 67. „qui monerent perfugere ad Germaniae excrcitus vel . . effigiem divi Augusti amplecti . ." XI. 1. XII, 46. XIII, 37. XV, 12. XVI. 11. 34. H. IV, 33. H. V, 24 I, 63. Semel forma pass. I, 63. „Caecina monitus (est) Pontes longos superare." admoneo VI, 13 (7). XV, 67. — β. Effectio actionis etiam causa continetur, cur substantia altera alteri potestatem actionis peragendae suppeditet: permitto XV, 60. „ut non complecti liberos . . permitteret." H. III, 35. 51. XIII. 29. concedo XIV, 55. „Augustus Agrippae . . usurpare otium . . concessit." sino I, 68. „sinerent egredi." H. IV, 65. consentio G. 34. „in claritatem ejus referre consensimus." — γ. Quemadmodum voluntas subjecti cum altera persona communicata imminui potest, sic etiam ita augetur, ut substantia substantiam impellat et cogat ad actionem efficiendam. Quae notio inest his: induco XII, 9. „consulem . . inducunt sententiam expromere." inlicior IV, 12. II, 37. inpello VI, 51 (45). „inpuleratque . . juvenem inlicere pactoque matrimonii vincire." XIII, 19. XIV, 60. H. III. 4. perpello VI, 39 (33). XI, 29. 50. XIII, 54. H. V, 2. adigo XI, 10. IV, 29. 45. VI, 33 (27). 47 (41).

XI, 25. XII, 4. 59. XIII. 25. XV, 35. subigo I, 39. XIV, 14. 25. cogo H. II, 41. IV, 20. H. V, 13. A. 19. itemque jubeo II, 32. „cum classicum canere jussissent.“ XV, 69. „jubetque praevenire conatus consulis, occupare velut arcem ejus, opprimere delectam juventutem.“ H. I, 38. „aperire .. armentarium jussit.“ H. III, 80. „prorumpere jubet.“ H. IV, 71. „ac renuntiare jubet.“ mando II, 71. „quae mandaverit exsequi.“ XV, 2. „mandavitque Tigranem Armenia exturbare.[23]) impero II, 25. „C. Silio . . ire in Chattos imperat.“ XV, 28. „quia filio ejus tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit.“ praecipio A. 46. „id filiae quoque . . praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari.“ 38. „praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit.“ — δ. Notio hortandi varia ratione mutatur: Suadeo III, 53. „an suasurus fuerim omittere potius praevalida et adulta vitia quam hos adsequi.“ XIII, 57. XV, 63. XVI, 9. persuadeo G. 14. „nec arare terram aut exspectare tam facile persuaseris quam vocare.“ censeo H. I, 39. „alii in palatium redire, alii capitolium petere . . censebant.“ oro VI, 8 (2). „nam principem orabat deligere senatores.“ XI, 32. „oravit pontificis maximi aures adire . .“ XIII, 13. „orabantque cavere insidias.“ XII, 9. ambio II, 43. „donec ultro ambiretur . . consulatum accipere.“ Scribo XII, 29. „scripsitque Palpellio Histro . . legionem . . pro ripa componere.“ XV, 25. nuntio XVI, 11. „ergo nuntiat patri abicere spem et uti necessitate.“ denuntio XI, 37. „denuntiatque centurionibus . . exsequi caedem.“ — ε. Subjectum ut actionem efficit, sic causa esse potest, cur actio non peragatur. Huic classi assignamus: dehortor III, 16. „M. Piso repetere Syriam dehortatus est.“ arceo III, 72. „nec . . arcuerat Taurum . . hostiles excuvias . . ad urbis et posterum gloriam conferre.“ IV, 38. „prohibeo XIII, 11. „in sua acta collegam Antistium jurare prohibuit.“ XV, 38. „crebris multorum minis restinguere prohibentium.“ 49. „prohibueratque (carmina) ostentare.“ H. IV, 59. „prohibuere foedissimam mortem . . praevenire.“

[23]) H. l. Walth. haud inepte „exturbari“ legit.

B. In antecedentibus ea verba attulimus, in quibus effectio actionis cujusdam a voluntate personae ita suspensa erat, ut actio ipsa aut cum voluntate substantiae agentis congrueret aut non congrueret. Actio autem inf° significata etiam ex facultate personae alicujus prodire potest, quamobrem nunc verba quae facultatem vel vim verbi „posse" exprimunt in disputationem vocabimus. Atque initium faciunt verba: α. possum, queo (octies), nequeo (24), valeo VI, 41 (36.) „nec iterare valuit." sustineo D. 26. „quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit." tolero III, 3. Eandem explicationem patitur: sufficio G. 32. — β. Facultas rei efficiendae non corporis viribus nititur, sed animo percipitur in his: scio H. I, 30. „perdere sciet, donare nesciet." D. 37. „sciamusque de ea re loqui." nescio A. 15. G. 22. Quibus cognatum est disco III, 54. „etiam nostra consumere didicimus." I, 16. XIV, 60. XIII, 16. H. I, 9. 33. A. 16. D. 34. Ex verbi „discere" notione proficiscitur verbum causativum doceo XIV, 55. „qui me non tantum praevisa sed subita expedire docuisti. H IV, 23. G. 15. Similiter inbuor H. V, 5. „nec quidquam potius inbuuntur (i. e. docentur, discunt) quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere." D. 29. „horum fabulis et erroribus teneri . . animi inbuuntur."

C. Effectio actionis cujusdam si neque ex voluntate neque ex facultate prodit, nonnunquam e necessitate quadam pendet. Quae necessitas vel in subjecto ipso inesse vel ab altera substantia etsi non nominata proficisci potest. Prioris generis duo tantum exempla exstant: debeo XIII, 27. „culpam ipsis exitiosam esse debere." 36. XIX, 53. H. II, 76. D. 24. 26. 31. mereo XIII, 26. „sperni meruerat" XV, 67. „dum amari meruisti." G. 28. XIV, 28. Alteri ordini adnumeramus passivum genus verborum causativorum, quae simul sunt transitiva, veluti: adigi, cogi, juberi. XV, 26. „pars Armeniae ut cuique finitima . . parere jussae sunt." 64. „mori jubetur" et saepius. Pariter participio eorundem verborum: adactus XIV, 24. „carne pecudum propulsare famem adacti" coactus XI, 8. XIII, 37. H. III, 85. jussus (7). Eadem ratione huc trahendum videtur passivum verbi „prohibere." II, 41. „quia conficere

(bellum) prohibitus erat.“ III, 58. VI, 46 (40). XIII, 28. XV, 62. Eodem sensu II, 73. „praepeditusque sit tot victoriis Germanias servitio premere.“ II, 59. „vetitis . . ingredi senatoribus.“ H. II, 29.

D. Denique cum actionem quandam repeti posse appareat, verborum periphrasticorum agmen claudimus verbo s o l e r e 17. S o l i t u s participium creberrimum; pariter s u e t u s IV, 67. VI, 41 (35). „Parthus sequi vel fugere pari arte —.“ IV, 36. „suetus . . refoveri.“ A. 12. „oriri sueta.“ Eandem rationem sequuntur ea verba, quae e verbo „solere“ orta sunt: s u e s c o XIV, 4. „quippe sueverat triremi . . vehi.“ a d s u e s c o G. 4. „sitim aestumque tolerare . . adsuerunt.“ D. 20. 34. i n s u e s c o II, 45. IV, 57.

## II. **Verba impersonalia.**

Quaeri potest, num vis illa periphr. quae in omnibus verbis quae hucusque enarravimus, perspicua fuit, etiam in verbis impersonalibus agnosci queat. Nam eum verba impp. certa personae, quae agere velit, possit, debeat, soleat, significatione careant, dubitari posse videtur, num verbum impersonale cum inf° compositum pheriphrasin actionis inf° significatae in substantiam certam transferre possit. Sed verba personalia, a quibus exorsi sumus, a verbis impp. haud ita longe absunt, ut transitum per genus quoddam verborum ad mere impersonalia non patefieri putes. Etenim si pro enunciato „permisimus agere“ dico „a nobis permissum est agere,“ persona quae permittit integra remanet; si vero dico „permissum est agere,“ personae quae permisit significatio abest, sed facere non possumus, quin aliquem permittentem cogitemus. Quaenam vero persona permittens subintelligatur, sitne homo certus an quilibet, sententiarum conexu vel sensus ratione docemur. Quodsi neutrius generis verba quaedam neutiquam significatione personae destituta esse apparet, etiam verba mere impersonalia, dummodo ex eadem illa vi periphr. deduci atque explicari possint, certa quadam cum personae significatione cogitari ideoque infinitivum asciscere pro certo habebimus. Nam verbis impersonalibus in universum nulla alia ratio inf$^{um}$ asciscendi adscribi potest nisi quam verbis forma perf. pass. usurpatis tribuimus. „Licet“ locutio, si inf$^{um}$ sequentem spectamus, quid aliud est nisi „permissum

est“? Aliorum natura statim ad notionem verborum personalium sine sensus detrimento referri potest. E. g. „juvat me agere;“ quod me juvat, libenter ago, et quod libenter ago, volo agere; sic per variationem quandam dicere possum, „juvat me agere“ idem esse quod „gaudeo agere.“ Ut generalem illam vim periphr. mutatis notionibus paulatim circumscribi et certas quasdam in relationes transferri vidimus, sic verborum periphr. simplicissima vis jam adeo amplificatur, ut cum notione primaria, quae usque perspici potest, notio secundaria in unam coalescat. Haec quidem amplificatio notionis ab initio simplicis, quae infra limitibus etiam laxioribus cernetur, in ceteris verbis impersonalibus animadvertitur, quorum ad notionem voluntatis, facultatis, necessitatis ratio vel causa, qua quid agas, accedunt. Etenim cum dico „decet me agere,“ idem fere est quod „debeo agere;“ sed in „decet“ verbo causa simul latet, cur agere debeam, possim, velim, soleam. His quae memoravi etiam consectarium esse videtur, quo magis verborum „velle, posse, debere, solere“ notionem vicissitudinibus et circumlocutionibus actionis in alterius voculae naturam transire videamus, eo arctius eorundem verborum, quae quasi normam collocavimus, vim concidere. Attamen non mirum esse debet, quod quae notiones inde ab initio perspicuae et sejunctae erant, eae pedetentim obscurentur et confundantur, quare saepenumero nihil interest, cui verborum ordini ejusmodi locutionem assignes. Exempla afferentes ordiamur a perfectis neutro genere usitatis: placitum (i. e. constituere) XII, 9. „— dehinc non ultra cunctari.“ XV, 52. permissum I, 15. IV, 48. G. 7. concessum II, 38. G. 40. datum XII, 11. „— C. C. .. deducere juvenem ripam ad Euphratis;“ saepius verbum „dari“ aliis formis impersonaliter usurpatur: III, 67. „neque refellere aut eludere dabatur.“ IV, 6. 60. VI, 25 (19). XII, 23. „etiam terminos urbis propagare datur.“ D. 7. licitum III, 55. „nam etiam tum plebem, socios, regna colere et coli —.“ XI, 22. G. 39. negatum H. IV, 65. „coram adire adloquique Veledam —.“ praescriptum VI, 29 (23). „— fuisse Macroni .. juvenem .. ducem populo imponere.“ vetitum H. II, 3. „sanguinem arae obfundere vetitum.“ — Sequuntur verba mere impersonalia, quae a. ad notionem voluntatis spectant: juvat H. III, 2. „juvabit sequi et .. in-

sistere.“ libet (i. e. velle) III, 55. IV, 55. VI, 34 (28). XIII, 31. XIV, 44. D. 19. 22. placet (i. e. constituere) IV, 3. „placuit tamen occultiora et a Druso incipere.“ H. II, 47. H. III, 10. pudet (vereri) XI, 21. XIV, 55. poenitet (nolle) XI, 24. piget I, 73. H. I, 55. A. 3. — b. notionem „posse“ continent haec: licet II, 9. III, 58. VI, 18 (12). XII, 23. XIII, 28. 49. XVI, 16. H. I, 1. 58. 83. H. IV, 64. 71. 76. G. 12. D. 30.[24]) eodem sensu: est XVI, 34. „ut conjectare erat.“ G. 5. „est videre apud illos argentea vasa“ Deinde: sufficit G. 43. „valentissimas nominare sufficiet.“ contingit A. 45. „quod adsideri valitudini fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit.“ — c. necessitatem quandam complectuntur: decet XVI, 26. „an venire in senatum deceret.“ conducit XV, 27. „proinde et Tiridati conducere . . regnum dono accipere.“ expedit VI, 14 (8). „fortunae meae . . minus expediat adgnoscere crimen quam abnuere.“ XVI, 35. H. I, 11. proficit D. 31. attinet XII, 60. pertinet III, 12. „nam quo pertinuit nudare corpus . .“

## III. Adverbia cum notione „esse“ eique simil. juncta.

Adverbia cum copula posita vel ad verba personalia vel ad verba imperss. referri possunt. Ceterum Tacitus neque multis neque saepe usus est. Adverbiorum autem ea tantum, quae cum copula rationem verbis periphr. cognatam efficiant, infum comitari posse non est cur copiosius explanetur. Crebrius in Tacito „satis est“ et „necesse est“ locutiones usitatas esse reperies, quarum prior fere idem valet quod „sufficit,“ posterior notionem debendi continet. Praeterea fieri potest, ut verbi „esse“ notio quod cum adverbio cohaeret, in verba „habere, videri, reri, existimare“ immutetur. Exempla sunt haec: necesse H. I, 29. „si nobis aut perire . . necesse est aut . . occidere.“ H. III, 20. G. 21. D. 10. satis D. 10. „nobis satis sit . . privatas controversias tueri.“ XII, 40. (satis habebat). XV, 25 (s. habuit). VI, 43 (37). (s. ratus). II, 5. (s. visum). IV, 39. (s. aestimare). parum (i. e. non sufficit) D. 23. deinde: H. II, 50. „conquirere

[24]) Verbum „licet“ neque cum info pass. neque cum accus. c. i. conjunxit Tacitus, neque ullus locos reperitur, in quo attractio illa est admissa.

fabulosa . . procul gravitate coepti operis (esse).“ i. e. non decere). H. II, 76. „a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi.“ (i. e. non decuerit).

IV. **Adjectiva cum notione „esse“ eique sim.** inf^um^ comitantia multo saepius occurrunt, neque in iis adhibendis a vulgari loquendi genere Tacitus recessit. Primo loco ea enumeranda sunt, in quibus verborum „velle“ aut „nolle“ notionem quamvis admodum variatam agnosces. Huc pertinent: contentus sum (i. e. sufficit, desino) D. 18. 23. 26. beatus (i. e. gaudeo, volo) A. 44. (potest videri —). properus (i. e. properans s.) IV, 52. „et quoquo facinore — clarescere.“ longum (nolle) H. II, 2. H. III, 71. (— videbatur). formidolosum (timere) H. III, 26. „munire castra, id quoque —.“ — 2.) Alterum genus est eorum, quibus aliquid fieri aut posse aut non posse vel vix posse denotatur: facile D. 18. H. IV, 39. „ne paratis quidem corrumpi facilis.“ promptum XIV, 57. XV, 41. H. III, 9. 69. D. 8. IV, 3. (promptissimum visum). expeditum III, 53. H, I, 10. pronum A. 1. „agere digna memoratu — magisque in aperto erat.“ tutum H. IV, 65. D. 5. inpune H. III, 5. vacuum H. II, 38. solutum IV, 35. „sed maxime — et sine obtrectatione fuit prodere.“ Difficile H. II, 47, grave II, 36. XIV, 21. XIII, 42. (an gravius aestimandum). arduum XII, 17. XIV. 3. (— videbatur). proclive H. IV, 3. intutum IV, 3. periculosum H. I, 81. A. 15. His conectimus ea quae „posse“ notionem animo percipiendam continent: certus (i. e. sciens) IV, 57. peritus A. 8. manifestus II, 57. D. 16. „et ipse satis — est . . in contrarium accingi.“ in aperto[25]) H. III, 56. „cum fessos . . hostes adgredi — foret. notum G. 10. „et illud quidem . . — avium voces volatusque interrogare.“ ignotum G. 25. incertum IV, 5, — 3. Sequuntur alia quibus exprimitur, quae cui consuetudo sit quodque officium agendi: tuum est (quod tuum est agere, vel soles vel debes agere.) I, 58. nostrum VI, 14 (8). regium XIV, 14. imperatorium II, 11. civile I, 54. II, 34. proprium IV, 19. — 4. Obveniunt nonnulla adjectiva, quae nonnisi solendi notionem etsi

[25]) „In aperto“ germanice vertendum „natuerlich.“ cf. Roth. exc. XXIV, 6.

obscuratam continent: frequens II, 33. rarum G. 25. „verberare servum ac .. coercere —.“ promiscum H. I, 84. otiosum XIII, 3. (contendere.) immotum fixumque I, 47. „— Tiberio fuit non omittere caput rerum . .“ — 5. Restat magna eorum copia, quae ad sensuum animique perceptionem pertinent, velut „decorum, honestum est“ aliaque sim. Jam si adjectivis hujusmodi judicium de actione infi indicatur, et iis ipsis causa inest, qua motus aliquid agam vel agere debeam, ea in verborum impersonalium rationem incidere apparet. Etenim „decorum est“ nihil aliud est nisi „decet,“ neque aliena sunt, quae ad illius rationem explicabimus: Decorum I, 12. VI, 23 (17). XVI, 56. honestum III, 53. G. 27. D. 10. A. 22. dignum XIII, 34. egregium H. I, 15. magnificum H. IV, 51. VI, 14 (8). rectum XII, 20. pulchrum D. 9. beatum G. 46. dulce D. 6. congruens IV, 6. „— crediderim recensere.“ melius D. 26. 41. constans H. III, 1. (constantius foret) sanctius ac reverentius G. 34. „— visum de actis deorum credere quam scire.“ votivum obligatumque G. 31. „nec nisi hoste caeso (barbam) exuere — virtuti oris habitum.“ tanti D. 37. ambitiosum IV, 37. Et quae iis contraria sunt: indecorum III, 52. inglorium A. 9. (— arbitrabatur). 33. infame G. 14. turpe G. 14. (— quin immo et iners videtur). sordidum A. 9. deforme D. 36. saevum XII, 17. absurdum IV, 65. H. II, 77. XII, 24. H. III, 62. „neque absurdus ingenio famam urbanitatis . . petere.“ miserius VI, 1. (V, 6). alienum D. 31. Ad notionem „proficit“ referas: utile H. IV, 73. obnoxium D. 10. exitiosum H. III, 49. Ad notionem „non attinet“: fortuitum H. I, 16. (— aestimatur). indiscretum H. III, 47. „quando hinc vel illinc appellare — et innoxium est.“ — Commode hic addi potest notissimus ille usus „videri“ verbi, quod impersonaliter positum infum asciscit eodem sensu quo „videri“ cum adjectivo aliquo conjunctum. Exempla inveni duo: XIV, 5. „visum dehinc remigibus unum in latus inclinare“ .. 14 „cum Senecae .. visum alterum concedere.“

V. **Etiam in substantivis cum copula „esse“**

et quae „esse“ copulae locum tenent verbis conjunctis periphr. illam vim, per quam infi usum exposuimus,

positam esse facile ostendi potest. Multa enim invenies, quae non tam ab ipsis verbis periphr. deducuntur, quam eorum facultatem induunt. 1.) Verbi „velle" notionem sequuntur haec: cupido XIV, 14. „vetus illi — erat curriculo quadrigarum insistere."[26]) consilium I, 1. H. III, 78. studium XIV, 14. „nec minus foedum — cithara canere." cura II, 55. sed praeverti ad Armenios instantior — fuit." H. II, 82. animus I, 56. „fuerat — Cheruscis juvare Chattos." VI, 2. (V, 7). XV, 53. (in animo fuit). XVI, 22. (ejusdem animi est). ambitio XIV, 22. voluptas D. 6. gaudium D. 6. „quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes . .! coire populum et circumfundi coronam et accipere adfectum."[27]) sacramentum G. 14. „illum defendere, tueri .... praecipuum — est." Huic ordini non repugnat: audacia (in qua voce inest audendi notio) XV, 42. Nec minus: venia (qua in vocula verbi „licet" notio latet) IV, 37. — 2.) Notiones „posse" vel „debere" substantiva haecce habent: munus II, 71. lex D. 27. negotium VI, 18 (12) „datoque sacerdotibus negotio . . vera discernere." D. 3. labor H. I., 15. XI. 20. — 3.) Ad naturam vocularum „tuum, regium est" et sim. prope accedunt: ejus H. II, 47. ejusdem IV, 52. viri I, 21. operis A. 10. temporis H. I, 16. proprium G. 10. 30. A. 42. pars H. II, 47. „plura de extremis loqui — ignaviae est." A. 45. „praecipua miserarum — est videre et aspici." — 4.) Cum his commode conjunguntur ea quae ad verbum solendi redeunt: mos I, 39. II, 38. IV, 70. VI,

---

[26]) Alii legunt „cura", sensu non adversante.

[27]) Peculiariter h. l. „gaudium" substantivum prius gerundio, deinde inf° conjunctum est. Sententiae nexus is esse mihi videtur: magnum est consurgendi . . . et gaudium est coire populum . . Alterum hujusmodi exemplum est H. IV, 12. „erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere." — Infus h. l. durior, sed rectus est neque usui Tacitino repugnans; pendet enim non e „delectus" neque ex „erant," sed e notione in verbis „praecipuo nandi studio" latenti. Sic igitur sententia supplenda est: „erat . . . . . . et praecipuus (i. e. doctus, suetus) . . Rhenum perrumpere." Itaque dubitatio, quam Doederl. huic loco infert, nulla est, quum constructiones eodem in enuntiato variare saepius Tacitus soleat; neque alia ratione eundem substantivum, quod accusativus c. i. subsequatur, nonnunquam cum verbo ipso conjungere infra commemorabimus. Ceterum injuria alii alio modo mederi loco tentaverunt.

35 (29). XII, 47. XV, 47. H. II, 80. H. IV, 22. 83. G. 15. A. 40. moris IV, 39. G. 13. 21. A. 42. morum I, 80. H. V. 5. „corpora condere quam cremare e more Aegyptio.“ natura H. I, 55. H. II, 20. insigne G. 38. „— gentis obliquare crinem nodoque substringere.“ ars III, 66. „Junio Othoni litterarium ludum exercere vetus — fuit.“ ratio H. III. 22. „cui adquiescere et.. hostem.. profligare.. — fuit.“ genus G. 11. „honoratissimum adsensus — est armis laudare“ 5.) Ad adjectiva quae animi sensuumque perceptionem assumunt, haec referenda sunt: fas I, 10. 70. III, 17. G. 6. D. 28. XIV, 30. H. V, 13. laus XI, 1. dignitas G. 13 „haec dignitas, hae vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari.“ decus I, 43 pretium I. 57. II, 35. H. II, 47. fiducia A. 1. Nefas H. V, 5. G. 21. injuria A. 9. flagitium G. 6. 19 „numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare — habetur.“ probrum G. 22. „diem noctemque continuare potando nulli —.“ rubor G. 13 Quo ab ordine non abhorrent: solatium XI, 12. „opperiri futura et praesentibus frui pro solatio habebat.“ levamentum XII, 5 „quod porro — honestius quam assumere conjugem.“ utilitas G. 44. usus IV, 32 (sine usu fuerit). dilectus H. I, 16. „brevissimus bonarum malarumque — est, cogitare.“ — 6.) Vocularum cohortem claudant locutiones nonnullae compositae, quae aeque e notione significationis periphr. prodierunt: in consensum vertit G. 31. „— crinem barbamque mittere“ (i. e. Chatti solebant) A. 2. „si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.“ (i. e. si possemus). A. 32. „quas (injurias) in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est.“ (i. e. vobis datum est, stat per vos.) G. 9. „nec cohibere parietibus deos neque adsimulare ex magnitudine coelestium arbitrantur.“ (i. e. caelestes non decere arbitrantur). XIII, 31. „cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.“ (i. e. cum decorum habeatur).

Antecedentibus postquam quo e regimine inf$^{us}$ penderet exposuimus, jam nonnulla de inf$^{o}$ ipso addere liceat.

Quamvis inf$^{um}$ certa casuum ratione inde ab initio definitum fuisse non consentaneum sit, tamen per acc$^{um}$, qui cum inter omnes casus latissime pateat, non solum

tamquam simplex objectum usurpatur, sed etiam liberiorem relationem experimere solet, objecti vices explevisse inf$^{us}$ videtur. Ex objecto quum subjecti notio profecta esset, casuum ratio quam inf$^{o}$ adjudicaveris ad finem venisse censenda est. Rejicienda igitur eorum est opinio, qui structura vulgari adjectivi alicujus vel substantivi quae certum casum exigunt inducti mox hujus mox illius casus facultatem in inf$^{o}$ agnoscere sibi videbantur. Nam quamquam aliquoties, si quidem regiminis natura admodum varie percipi potest, inf$^{us}$ obliqui casus vicem induere videtur, tamen id semper tenendum est, nonnisi objecti et subjecti locum inf$^{o}$ expleri, ubicunque vero actionis notio reliquorum casuum peculiari sensu egeret, inopiae non aliter consulere potuisse Latinam linguam ac gerundii supinique formis usurpandis. Quodsi inprimis poetas et qui illorum morem sunt secuti, inf$^{um}$ liberius usurpandi jus sibi vindicasse videmus, e Graeci inf$^{i}$ natura deprompttum esse hunc usum liquet. Verumtamen si verum est quod contendimus simplicissimam casuum rationem inf$^{o}$ inesse, locutiones quae insolenter cum inf$^{o}$ ponuntur, significatione paululum immutata ad vim structuramque verbi simplicis referenda sunt. Huc pertinent exempla haec: A. 8. „eruditusque utilia miscere honestis.“ (i. e. doctus). Eodem sensu: XIV, 57 „exercitus velare odium.“ VI, 41 (35). „Parthus sequi vel fugere pari arte suetus.“ (solitus). H. V, 1. „paratusque decernere.“ (refer. ad notionem volendi). IV, 71. „ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre.“ (ni constituissem).

In substantivis nonnullis et adjectivis interdum ambiguum esse potest, utrum inf$^{um}$ ponas an gerundii genetivum, si quidem regentis locutionis ratio ipsa incerta est. Sic jam ad eos Taciti locos pervenimus, in quibus et inf$^{um}$ et gerundium reperiri videmus. Nam cum ratio, quae inter nomen et actionem verbi iniercedit, plus minusve arcta esse queat, ut actio ipsa cum nomine aliquo arctissime conglutinetur fieri potest. Quare inter utramque constructionem hoc discriminis interest: gerundii genetivo posito cum propter intimam nominis et verbi cohaerentiam notio quasi composita orta sit, nomen ipsum solummodo accuratius definitur et ceteris enuntiationis membris additur; si vero inf$^{us}$ ea substantiva sequitur, quae cum „esse“ copula juncta periphrasin verbi alicujus inf$^{um}$ re-

gentis continent vel judicium de actione aliqua eloquuntur, inf$^{us}$ ipse subjecti loco ponitur. Sed satis est ea exempla comparare, in quibus utraque constructio locum habere potest. a.) In substantivis: ars III, 66. „Junio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit.“ (i. e. solebat). At H. II, 10. „et facundia aderat mulcendique volgum artes.“ (hic „artes“ vox vocabulo apposito „mulcendi“ accuratius illustratur et cum eo arctissime cohaeret.) cf. H. IV, 58. et saepius. Mos vocula eodem sensu semel gerundium flagitat: H. I, 90. „ex more adulandi,“ inf$^{us}$ autem forma legitima est. Munus est, cum idem valet quod „debere,“ inf$^{um}$ postulat, idem vocabulum solum positum gerundio conjungitur, (III, 29. XIV, 20.) Neque aliud discrimen cernitur in vocibus his: consilium est, si notioni „contituisse“ appropinquat, inf$^{um}$ asciscit: I, 1. „inde consilium mihi... tradere.“ H. III, 78. At: VI, 32 (26). „moriendi — cepit.“ I, 11. „coercendi imperii.“ II, 26. „petendae pacis.“ In voce cupido commodius gerundium fuisse Tacito videtur, quod non solum ab abl. „cupidine“ (I, 3. 10. XV, 33. 53. II, 54. IV, 18. XII, 28. H. I, 63. 22. 48. H. II, 28. 88.) vel ab acc. cum praepositionibus conjuncto (H. III, 32. II, 63.) suspensum facit, sed etiam his locis usurpat: H. II, 2. „— incessit adeundi visendique templum.“ H. V, 23. „— incessit navalem aciem ostentandi.“ H IV, 82. „altior — Vespasiano erat adeundi.. sedem.“ Pari modo inf$^{i}$ partes sustinent voces hae: „cura, animus, studium, ambitio,“ si cum „esse“ verbo positae significationem verbi sibi respondentis accipiunt, gerundii, si vis et natura earum additamento eget, quo accuratius definiantur; id quod saepius evenit.[28]) Praeterea nonnullae voces restant, quae inf$^{o}$ sequente adjectivi vim induunt. tempus (i. e. tempestivum). At VI, 29 (23). „defuerat — subeundi judicium.“ I, 51. „hoc illud — (esse) oblitterandae seditionis.“ XIII, 52. „evocandorum testium.“ sine usu (i. e. inutile). utilitas (utile). labor (molestum). b. Rarius juxta adjectiva rell. constructionum commutatio in Tacito obser-

[28]) Memoratu dignum mihi esse videtur adjectivum quoddam vel pronomen ad substantiva inf$^{um}$ regentia plerumque accedere, quibus substantivo ipsi aliquid constantiae ac confirmationis additur. At vero substantiva gerundio adposita hoc attributo carent.

vatur; memorandum est peritus adj., quod semel inf$^{o}$ conjungitur: A. 8. „peritus obsequi (i. e. cum obsequi didicisset); longe alia esset sententia, si legeres: peritus obsequendi.“ cf. H. V, 6. et 15. „periti nandi.“ Eadem ratione usurpatur: certus IV, 57. „— procul urbe degere.“ (i. e. sciens). Contra: H. IV, 14. „desciscendi—.“ IV, 34. „relinquendae vitae.“ — Sed ejusmodi locutiones diligentius persequi nolumus, cum per se intelligatur, relationem qua actio et causa, ex qua actio orta est, inter se conexae sint, majorem aut minorem esse et in voce regenti alias significationes, quales sunt loci vel regionis, finis, respectus, esse positas posse.

Quod tempus inf$^{o}$ succedenti tribuendum sit, e verbo quod inf$^{um}$ regit, et sententiarum conexu consequi non est quod copiosius explicem. Cum vero fieri possit, ut e duobus inf$^{is}$ alter alterius facultatem suscepisse videatur, paucis quaerendum est, quomodo temporum permutatio illa sit intelligenda. Etiam in Tac. plures reperies locos, ubi perfecti inf$^{um}$ pro praesentis inf$^{o}$ positum existimes. Sed quamquam satis constat inprimis poetas hac in re negligentiores fuisse nec sententiae vim interdum immutari, seu actio quaedam jam perfecta sive eausque durans cogitatur, tamen tantum abest, ut hanc licentiam Taciti quoque fuisse putem, ut vero discrimine inter utrumque temporum genus facto inf$^{um}$ perfecti suo loco eum usurpasse censeam.

Quoniam ad hunc locum perventum est, etiam de inf$^{i}$ tempore, quod in constructione acc$^{i}$ c. i. usurpetur, commode dissseretur. Primum memorandum videtur, uno verbo „videri“ excepto inf$^{i}$ futurum pass. formam in Tac. non reperiri, quem ad circumscribendum formulam „fore ut“ adhibitam vides in exemplis his: IV, 56. „rumor incesserat fore ut disjecti . . diversas in terras traherentur.“ IV, 29 (23). I, 5. H. I, 22. 54. Haec quidem simplicis acc$^{i}$ c. i. circumlocutio non solum in verbis generis passivi, de quibus supinum derivari seu poterat seu non poterat, — Taciti quidem id non interest — locum habet, sed etiam in verbo act. generis a Tacito usurpatur: XIV, 9. „responderant Chaldaei fore ut imperaret matremque occideret.“ D. 11.

Praeterea nonnulli loci reperiuntur, ubi futuri inf$^{u}$ poni potuit, sed non opus erat; itaque inf$^{um}$ praesentis

suo jure idcirco positum videmus, quod fieri potest ut actio quae futuro demum tempore proprie absolvi potest vel modo absolvi incipit, per naturam hominibus insitam ventura cogitatione sibi praecipiendi tempori praesenti accommodetur. Exempla ejus generis sunt: I, 55. „spes incesserat dissidere hostem inter Arminium et Segestem.“ A. 9. „comitante eum opinione.. Britanniam ei dari.“ 40. „additque insuper opinionem, Syriam provinciam.. destinari.“ I, 51. „decumari legiones et.. dimitti.“ — Interdum tempora intra eandem enuntiationem variari vides tum, quum notio actionis posterioris non ad idem tempus pertinet, ad quod actio prior. Veluti I, 48. „praemittit litteras . ., venire se valida manu ac, ni supplicium.. sumant, usurum promisca caede.“ II, 34. „L. Piso.. abire se et cedere urbe, victurum (esse) in aliquo abdito.. rure testabatur.“

Denique ut inf$^{um}$ perf. pro praesentis inf$^{o}$ mutata temporis ratione poni supra memoravimus, sic e contrario in constructione acc$^{i}$ c. i. loci exstant, in quibus inf$^{us}$ praesentis partes perfecti inf$^{i}$ sustinuisse videtur. Verumtamen non tempora mutantur, sed rationes variantur, e quibus actio mente hominis credentis aut adhuc durans aut plane perfecta percipitur. Sic legimus XIV, 10. „et erant qui crederent sonitum tubae planctusque audiri.“ si diceretur „sonitum auditum esse“, sententia alia esset, nam scriptor dicere non vult sonitum jam esse auditum, sed etiamnunc ex sententia credentium audiri. Pariter XVI, 4. „crederes (plebem) laetari.“ II, 50. „de adulterio satis caveri lege Julia visum.“ Diversitas quae inter utramque notionem intercedit, nonnunquam necessaria esse videtur, veluti I, 5. „simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.“ Huc quoque pertinet III, 16. „audire nemini.“

Sed ad propositum redeamus. Exposito inf$^{i}$ nudi usu nihil prohiberet, quin ad acc$^{um}$ c. i. progrederemur, nisi prius de casu, quo nomen cum inf$^{o}$ positum definiretur, disputare proximum esset. In verbis periphr. „velle, posse, debere, solere“ et quae ejusdem significationis sunt, quum inf$^{us}$ quodammodo praedicati loco usurpetur, subjectum inf$^{i}$ eodem, quo verbi regentis subjectum, casu poni oportuisse videtur propterea, quod lingua concordiam inter subjectum et praedicatum ab initio

amaverit, deinde postulaverit.[32]) Alia autem est res, si subjectum ad quod verbi actio pertinere possit, non adest: tum casus praedicati a nom$^{o}$ subjecti attrahi nequit, quapropter attributivum quodlibet ad inf$^{um}$ accedens in casu qui inf$^{i}$ notioni proprior est, poni videmus, i. e. in acc$^{o}$. Ceterum hujuscemodi usus exempla offert Tacitus perpauca, qui verbi solius formam et significationem praetulisse censendus est: D. 23. „sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur." G. 14. „superstitem principi suo ex acie excessisse."

Regulis quas de natura verborum periphr. constituimus, non repugnat constructio quae vocatur

## Nominativi cum infinitivo.

Namque et formam nom$^{i}$ c. i. et vim respicientes constructionem eam puro inf$^{o}$ magis cognatam quam acc$^{o}$ c. i. et e simplici inf$^{i}$ usu exortam esse exponemus. — Cum inf$^{i}$ notio, qui naturam suam semper integram servat, actionis effectionem generatim solummodo designet, ad eam plane definiendam verba periphr. opus fuisse supra demonstravimus, quae copulae vice fungentia subjectum et praedicatum inter sese conjungerent. Neque alia est ratio verborum eorum, quae nom$^{um}$ c. i. postulant, quamvis differentiae aliquid inter utrumque verborum genus intercedat. Modum enim praedicationis satis varium esse inde apparet, quod notionem verbi „esse", ad quod tamquam ad communem fontem omnia verba referuntur, per multiplices mutationes circumlocutionesque percipi posse constat. Proinde actio quae de subjecto praedicatur, non solum voluntate, facultate, necessitate, consuetutine substantiae ipsius nititur, sed etiam ejusmodi esse potest ut praedicatum ex observatione, nuntio, sententia, aliorum prodeat. Huc igitur pertinent verba haec: „videor, credor, dicor" et sim. Quum subjectum actionem quasi non per se perficiat, sed actio ad subjectum extrinsecus referatur, vel de subjecto praedicetur, verba ejusmodi nonnisi passivo genere usurpari possunt; quocirca substantia non ipsa actionem perficiens cogitatur, sed ita percipitur, ut

---

[32]) Cujus generis exempla sunt haec: H. I, 16. „desinam videri senex" G. 32. „quique terminus esse sufficiet." 28. „quamquam Romana colonia esse meruerint." XIV, 48. „non quidquid nocens reus pati mereretur."

in ea actio perficiatur. Itaque nom$^{i}$ c. i. constructio facillime cum iis verbis periphr. passivi generis conferri potest, in quibus voluntas substantiae alicujus ut in substantiam secundariam transiit, sic pari ratione, etiam in primariam substantiam extrinsecus redit. E. g. ex enuntiato „volo agere", si voluntatem meam in alteram substantiam transferam, alterum quoque enunciatum gignitur „jubeo te agere"; sin autem actio substantiae secundariae (i. e. personae agentis) persona quae jubeat suppressa in substantiam primariam (i. e. prius agentem) transfertur, oritur sententia „jubeor agere," quae aliquantum differt ab enunciato „debeo agere." Simili ratione natura subjecti, quale in nom$^{o}$ c. i. locum habet, intelligenda est: subjecto enim, quae pergravis est enunciati pars, praedicatum additur, cujus natura adjectis voculis „dicitur, videtur, creditur" mutatur quidem, sed non tollitur; i. e. actio subjecti eatenus tantum vera est, quatenus quis credat, dicat, videat. Quodsi inf$^{o}$ nomen aliquod conectitur, per eandem attractionem, quam supra monstravimus, id in casum subjecti transire consectarium est. Jam exempla proferamus ipsa. Omnium creberrime usurpavit Tacitus verba haec: *Videor* verbum persaepe tempore imperfecto, rarius perfecto positum est, atque ejus subjectum non solum personis, sed etiam rebus formatur. *Dicor* II, 40. I, 61. 71. 76. IV, 34. H. I, 39. D. 2. 26. *feror* (12) *credor* (31). Res subjectum formant in his: I, 53. (litterae). XIII, 42. (senatus consultum). XVI, 17. (quae). H. II, 93. (fides). H. III, 4. (principatus, partes). H. IV, 53. (religio). Rarius reperiuntur verba haec: *narror* A. 7. *arguor* II, 50. IV, 37. VI, 11 (5). *incusor* IV, 48. VI, 9 (3). *deferor* II, 27. „Drusus defertur moliri res novas." III, 22. VI, 25 (19). XIII, 23. *convincor* XIII, 44. IV, 31. Similiter „*suspectus* H. I, 46. H. IV, 34. *accusatus* IV, 22. *Intellegor* I, 61. *cognoscor* H. IV, 40. *adnotor* XIII, 35. „adnotatus est miles.. ita praeriguisse manus." Postremo *audior* XV, 6. „et adventare Caesennius Paetus audiebatur." *speror* H. II, 74. „ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur."

Quum Tacitus etiam acc$^{i}$ c. i. constructionem nonnullis eorum quae memoravi verba conjungat, exsistit h. l. quaestio, utrum discrimen utriusque constructionis

statuendum sit an promiscue haec vel illa usurpari possit. Qua de re disputavit Haasius l. l. adn. 605., cujus argumentationem utpote Taciti usui convenientem secutus sum. Differentia ante omnia in forma utriusque generis dicendi quaerenda est: nom$^{o}$ c. i. posito subjectum actionis non sine causa cum finito verbo conglutinatur, nam majore quadam vi substantia agens monstratur, ad quam verbum praedicativum pertinet. Itaque ut exemplo utar quod est XV, 5. „et adventare Caesennius Paetus audiebatur," „Caesennius Paetus" h. l. gravissima enunciati est pars, cui notio adventandi praedicati vice fungens subjungitur. Quod verbum adventandi finitam suam naturam non retinet, non mirandum est, praesertim quum locutione „audiebatur" apposita vis verbi secundum verborum periphr. analogiam nonnisi circumscribatur. Alia est res, quum acc$^{i}$ c. i. constructione usurpata dicitur: „adventare Caesennium Paetum audiebatur." Intima enim conjunctio quae inter substantiam agentem et verbum finitum prius exstabat, sublata est, neque quidquam restat nisi nuntius, qui audiebatur. Namque cum verba ejusmodi, quae acc$^{us}$ c. i. sequitur, vim periphr. mere exprimere nequeant, sed ad notionem ex inf$^{o}$ et inf$^{i}$ subjecto compositam haud ita arcte pertineant, omnino aliquid animadverti, quodque animadversum sit, dici, nuntiari videmus, ita quidem ut subjectum, quippe quod inf$^{o}$ adnectatur, minoris sit momenti. Haec quidem regula in universum constituta sufficiet neque opus esse videtur verba singula persequi. Itaque quamquam in Tacito acc$^{us}$ c. i. locutiones passivas persaepe sequitur neque operae pretium est omnes huc spectantes locos in disceptationem vocare, si quidem sententia acc$^{o}$ c. i. expressa vera ac procul dubio est, tamen ea certe exempla afferenda videntur, in quibus post eadem verba pari modo etiam nom$^{um}$ c. i. Tacitus usurpavit. *Credi* II, 69. „quis creditur animas numinibus infernis sacrari." XIV, 48. (credebaturque). H. I, 50. „tantum superioris Germaniae exercitum descivisse." 90. I, 28. (creditum est). *intellegi* H. IV, 34. „venire victorem exercitum intellegebatur." III. 55. „avunculum esse Sejani Blaesum atque eo praevalidum." *dici* I, 10. (dicebatur). IV, 58. „nam in urbem (eum) non regressurum haud forte dictum." *nar-*

rari G. 33. „nunc Chamacos et Angrivarios immigrasse narratur.“ Itemque: nuntiari I, 36. „nuntiabatur parari legatos.“ H. III, 79. „plebem quoque et servitia pro Vitellio armari.“ H. III, 38. „sciscitanti causam . . epulari multos . . nuntiatur. tradi IV, 57. „traditur etiam matris inpotentia (eum) extrusum.“ — At in verbo „videri“, cujus originem Romanis nunquam evanuisse consentaneum est, aut constructio personalis reperitur, aut impersonalis tum locum habet, quum acc^us c. i. proprie ex adjectiva similique significatione pendet; idem verbum autem etiam solum poni cum acc^o c. i., si fere idem valet quod „placet“, ex his exemplis colligi potest: H, 50. „de adulterio satis caveri lege Julia visum.“ H. I, 33. „festinandum ceteris videbatur.“ H. I, 29. „provisum adoptione videbatur.“ — Progrediamur ad

## Accusativum cum infinitivo.

Ut de definienda ipsa inf^i notione sententias fluctuare vidimus, sic etiam de constructione acc^i c. i. interpretanda viros doctos alium aliter disseruisse constat, praesertim cum dissentiretur, quomodo acc^us ille esset explicandus. Omnes quae de acc^i natura exstiterunt sententias referre, relatas percensere quum hujus opusculi esse non arbitrer, eas solummodo, quae memoratu dignae mihi visae sunt, enarraturus sum, copiosius exponi eam sententiam, quam ipse secutus sim, melius ratus. Primus dicendus est Boppius [33]) qui ita disputat, quoniam unaquaque in lingua verba reperiantur, quae duplicem acc^um et personae et rei asciscant, inter verba et utrumque objectum oriri duplicem relationem; simili ratione verbi regentis actionem partim in personam, partim in inf^um referri posse, unde oriatur acc^us c. i. Quam opinionem jure refellens Schmidtius l. l. pp. 40. 41. sq. acc^um non e verbo regenti, verum cum Humboldtio l. l. p. 117. ex inf^o suspensus esse voluit, falsus autem in eo, quod censuit ad analogiam Graeci qui vocatur acc^i in acc^o qui liberioribus vinculis cum inf^o ipso cohaereat. substantiam inf^o indicatam momenti appa-

[33]) Conjug. Syst. d. Sanscr. Spr. cet. p. 75. et q. s. p 107. id. Vergl. Gr. V. p. 1209. ed. I. et pag. 1285.

rere.[34]) Quae de acc$^o$ relata sententia quum notioni inf$^i$ satisfacere nequeat, alia norma quaerenda est, qua inf$^i$ copulationem cum acc$^o$ evidentius explanemus. — Ante omnia constare mihi videtur, constructionem acc$^i$ c. i. inde ab initio tam perfectam perpolitamque dicendi rationem non fuisse, quam deinceps in scriptoribus occurrat. Primordia ejus enucleaveris verbis causativis, quibus effectionem actionis cujusdam alteram in substantiam transferri supra exposuimus. Hinc oriuntur enunciata quae sequuntur: „jubeo, hortor, moneo, volo te agere, te clementem esse;" itemque: „doceo te scribere." In hujusmodi exemplis substantia, in quam voluntas vel facultas alterius substantiae transgressa est, arcte verbo regenti se applicat. Ex ingenio linguae quum opus esse videretur, ut notioni inf significatae actionis vel status certa quaedam relatio adderetur, qua inf$^i$ notio generalis accuratius circumscriberetur, factum est, ut substantia secundaria ex arctis substantiae primariae vinculis paululum remitteretur et inf$^o$ subjungeretur. Hoc quasi adminiculo adjuta inf$^i$ natura ea fit, ut ex notione generali et quodammodo haesitanti oriatur cogitatio, ex cogitatione cognitio, ex cognitione denique sententia. Quoniam inf$^i$ notioni per se proprium esse acc$^{um}$ et quasi inhaerere haud prorsus negari potest, personam et rem, de quibus inf$^i$ actio praedicatur, aeque casu acc$^o$ poni et ratione inf$^i$ habita subjecti vice fungi evidenter apparet. Itaque quum dico „Cajum aegrotum esse", vel „aegrotare", voce „Cajum" persona significatur, ad quam aegrotandi notio pertinet, vel de qua status aegrotandi praedicatur. Hanc ut ita dicam sententiam abstractam, quae subjecto et praedicato componatur, judicio vel declaratione niti jam inde liquet, quod effectum nunquam non causa praegreditur. Itaque quod munus nudo in inf$^o$ verba periphr. administravisse vidimus, idem explent in acc$^o$ c. i. verba locutionesque, quibus cogitationis vel cognitionis notio conjungi potest. Ejusmodi verba sentiendi et declarandi vulgo nominari notum. E. g. „audio, sentio, dico, cupio Cajum aegrotare." Quo-

[34]) Utitur his verbis: „Wie man sagte, „os humerosque deo similis", so fügte man auch zu der Substanz, welche von einem Merkmale abstrahirt war, die Sache oder Person, an der das Merkmal sich befand, im Accus."

modo igitur verborum sent. et decl. vis ea est, ut ad analogiam verborum periphr. sententiam, quae prius fluxa generalisque erat, figant et formae concretae adaptent, sic non mirandum est, quod locutiones permultae et inf$^{um}$ nudum et acc$^{um}$ c. i. asciscere possunt. Sic dicitur: „mirum est aegrotare" et „mirum est te aegrotare;" unde intelligitur inf$^{um}$ majoris esse momenti quam acc$^{um}$, quo inf$^{um}$ limitibus angustioribus circumscribi censeas. Quod ita esse non solum ex omissione subjecti, quod tum supprimi solet, quum subjectum ipsum ex sententiarum cohaerentia subintelligi potest, verum etiam inde conjeceris, quod pro acc$^{o}$ c. i. activi generis nonnunquam simplex inf$^{us}$ passivi ponitur. Recte igitur dici potest: „iri in hostes jussit." Si vero acc$^{i}$ illius naturam atque indolem altius perscrutamur, acc$^{um}$ modo verbo regenti, modo inf$^{o}$ se applicare observamus. Quodammodo ambiguum esse videtur, utrum verbo regenti an inf$^{o}$ addicatur in iis verbis, de quibus cogitatio pendens nondum firma ac stabilita est: hujus generis sunt verba volendi, sinendi, jubendi. [35]) At vero ad inf$^{um}$ attinet acc$^{us}$ in iis verbis, quibus cogitatio clare apparet. Huc trahenda sunt inprimis verba decl. et ceterae omnes locutiones, quae certae personae significatione sunt destitutae. [36])

His quae opus erant praemissis, jam videamus de usu ipso Taciteo verba qnae cum acc$^{o}$ c. i. posita sunt enumerando. Ordiamur

I. A verbis sentiendi. Cum unaquaeque cognitio aut e sensuum perceptione aut ex mentis cogitatione oriri soleat, verba illa quae rem sensibus vel mente perceptam denotant, sentiendi vocantur. Quorum in numero habenda sunt primum ea quae a. simplicissimam

[35]) Cum hujusce acci c. i. forma conferri possunt ea verba, quae in nostra lingua constructionem Latino acc$^{o}$ c. i. cognatam admittunt; huc pertinent haec quinque: „heissen, lassen; sehen, hoeren, fuehlen."

[36]) Interdum nonnisi ex sententiarum conexu intelligi potest, utrum inf$^{o}$ acc$^{us}$ se applicet an verbo regenti; id quod fieri solet in verbis videndi. Si res vel persona, quae oculis percipitur, fere ejusdem est momenti atque actio ipsa, acc$^{um}$ cum verbo videndi conjungere rectius est, veluti G. 30. „alios ad proelium ire videas." Si vero actio quaedam ex observatione quasi profecta est, acc$^{um}$ inf$^{o}$ subjungi liquet; veluti: XI, 6. „qui non judicium . . sed poenam statui videbant."

sensuum actionem significant: sentio (2). video (13). audio (9). — audito II, 7. XIV. 7. b. Variatur notio audiendi in his: accipio (14). comperio (4) — compertum est: (5). — comperto (8). experior XV, 71. invenio (2). reperio (4). lego A. 2. perlustro H. II, 1. disco H. 1, 29. Itemque nosci H. III, 21. — c. Facultas videndi non solum in oculis, sed etiam in animo posita est et cognoscendo cernitur: cognosco (10). — cognitum est (7). — XIV, 34. (satis cognito). intelligo (12). cerno H. IV, 86. animadverto H. III, 38. adnoto (6). provideo IV, 41. — d. Cognitio rei alicujus inprimis cogitatione nititur: cogito III, 33. XI, 6. agito II, 12. memini (7). recordor XV, 57. 70. — e. Mens cogitans paulatim ad actionem judicandi transgreditur: puto (9) XIV, 14. (gerundium) A. 46. (g.) reputo (7) opinor G. 3. D. 2. arbitror (9). existimo I, 80. XIV, 53. (g.) suspicor D. 14. suspecto XV, 51. colligo D. 17. 24. 33. deprehendo D. 30. — f. Ex actione cogitandi et judicandi homo deinceps ad veram quandam animi condicionem pervenit, ita quidem ut dubitet, vel speret aliquid vel credat. Huc pertinent verba: dubito III, 29. XIV, 43. XV, 73. H. II, 46. D. 18. IV, 70. ambigo (4). spero (5). timeo H. IV, 38. „clausum litus, retineri commeatus dum timet.“ despero XIV, 61. „at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam.“ duco III, 32. reor (13). — ratus I, 28. (g.) IV, 8. 37. XIV. 23. XV, 5. H, IV, 16. H, IV, 57. II, 12. (g. c. subjecto.) H. I, 36. (g. c. s.) A. 33. (g. c. s.) et saepius. credo (61) Praeterea genere passivo: (4) creditum est: I, 28. III, 19, credito: III, 14. VI, 40 (34) IV, 42. (g. c. s.) D. 10. (g. c. s.) Itemque consentio VI, 34. (28). H. IV, 3. — g. Cognitio actionis denique ita perfecta ac stabilita est, ut homo aliquid sciat aut nesciat: scio (13).[37]) nescio (2) ignoro (5) obliviscor (1).

II. Verba dicendi. Cum homo cogitans facere non possit, quae ipse excogitaverit, sciat, etiam cum aliis communicet, ad verba decl. vel dic. progredimur, quorum fons in verbis sent. est quaerendus. Sententia igi-

---

[37]) Eodem refero XIV, 64. „praesumptum habeant . grates deis actas.“ (i. e. praesumant et sciant.)

tur acc° c. i. indicata, ut antea in subjectum cogitans, nunc ad personam dicentem transfertur, nec ratio, quae inter verba sent. et decl. intercedit, ea esse censenda est, ut utriusque generis verba diserte et accurate distinguantur. Nam verba dic. proxime cum verbis sent. cohaerere cum inde intelligitur, quod nihil declarare queas, nisi actione cogitandi praegressa, tum ex eo perspexeris, quod quae cogitaveris, nemo experiri possit, nisi id dicendo vel alia aliqua ratione cum alio communicaveris. Hinc sequitur ut inter verba sent. et decl. communis quaedam condicio obtineat, ad quam cogitatio acc° c. i. subjecta refertur. Itaque priusquam verba quae meram dic. notionem denotent, percenseamus, ea enumeranda esse videntur, quorum notio arctissime cohaeret cum verbis discendi vel sciendi: a. Id genus verba sunt ea, in quibus substantia facultatem rei alicujus intelligendae in alteram substantiam transfert. Huc pertinent: d o c e o (6). — A. 9. 29. „tandemque docti commune periculum concordia propulsandum.“ d e m o n s t r o (2). o s t e n d o (3). i n t e r p r e t o r (7). s i g n i f i c o XIII, 15. p r o b o D. 18. I, 58.; similiter XV, 20. „usu probatum est.. leges egregias.. ex delictis aliorum gigni.“ a d p r o b o A. 34. H. I, 3. (adprobatum est). — b. His addas, in quibus persona efficit, ut recordatio rei alicujus alteri personae injiciatur. Hanc condicionem quam vocant causativam invenies in his: m o n e o (4). a d m o n e o (5). c o m m o n e f a c i o (1). p e r s u a d e o (2). s u a d e o XII, 6. „quando maritandum principem cuncti suaderent.“ — c. Facile ad verba sciendi revocantur ea, in quibus voluntas vel desiderium rem aliquam sciendi latet: r o g i t o VI, 9 (3). e x p l o r o (2). — d. Jam ad verba ipsa dic. progredi licet, quorum simplicem notionem continent haec: d i c o (20). genere pass. (3). d i c t i t o (17). Uno loco: XV, 20. (quod dictitasset) excepto, „dictitare“ verbum forma tantum participii praes. „dictitans“ usurpatum est. p r a e d i c o VI, 52 (46). D. 18. p r a e f a r i (1). a j o (11). l o q u o r (3). v o c i f e r o r XV, 38. v o c a r i G. 19. „nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur.“ c l a m i t o (18). g. c. s. (4). e x c l a m o (3). p r o c l a m o (5). c o n c l a m o (2). a p p e l l o H. IV, 46. n a r r o (4). m e m o r o (25). t r a d o (24). p r o d o (3). v u l g o (2).

genere pass. (5). evulgo XIII, 9. H. I, 4. „evolgato.. arcano posse principem alibi quam Romae fieri.“ spargo H. II, 58. dispergo (2). nuntio (17). genere pass. (5). nuntiato: II, 64. denuntio G. 18. (g.) pronuntio XIV, 21. 43. fero (16). adfero (5). genere pass. (6). perfero H. IV, 58. refero (22). g. c. s. II, 86 XI, 25. XV, 22. firmo (6). adfirmo (10). confirmo (2). adsevero (14). perhibeo A. 10. II, 60. fateor (7). confiteor (2). profiteor (3). tendo III, 10. contendo D. 15. dissero (27). XIII, 27. disserto H. IV, 69. aperio (3). promo XV, 60. „et hactenus prompsit missum se ad Senecam.“ expromo XVI, 1. „expromit repertum in agro suo specum.“ indico II, 25. respondeo (34). Itemque: nego (3). abnuo (4). Dicendi notioni conjungitur temporis cujusdam momentum, quo quodammodo dicitur, in his: ordior (2). incipio XII, 10. addo (10). — addito, I, 35. II, 28. adjungo (2). adicio (4). — adjecto: IV, 71. adnecto (1). repeto III, 33. — f. Communicatio non solum voce, sed etiam litteris fieri potest, quare acc^us c. i. cenectitur verbis his: scribo (7). scriptito H. III, 52. rescribo (5). I, 25. (perscriptum est). — g. Cum notione dic. altera cohaeret, ita quidem ut simul intelligatur, qua de causa vel quo consilio aliquid dictum sit: defendo XIII, 43. „ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat.“ (i. e. defendendi causa commemorabat). fremo (3). simulo (3). praetendo (4). praetexo H. I, 72. fingo VI, 5 (V, 10). H. I, 27. H. II, 8. confingo XIV, 7. XII, 45. ementior II, 66. occulo III, 16. — h. Fere ejusdem generis sunt ea verba, quibus aliquid, ut ita dicam, majore gravitate declaratur: promitto XV, 42. III, 15. H. III, 59. polliceor XV, 43. H. III, 77. III, 72. offero XVI, 26. Juro II, 31. 71. testor (17). obtestor (3). testificor XI, 15. XII, 7. XV, 36. XVI, 12. minitor XII, 46. Huc refertur etiam cano XIV, 32. H. IV, 54.

In exemplis prolatis cogitationem acc^i c. i. suspensam fecimus certis e notionibus sent. et decl., quibus prorsus eandem acc^i c. i. regendi rationem inesse docuimus. Verumtamen cum cogitatio rei alicujus potissimum e voluntate cogitantis pendeat, i. e. cum homo ut

facultatem rei efficiendae sibi ipse vindicare velit aut vindicet, sic voluntatem suam etiam alteri substantiae tribuere possit, verba volendi, quippe quae acc$^{um}$ c. i. asciscant, prius percenseri oportuit. Qua ratione si ex notione verborum volendi primordia cacc$^{i}$ . i. explicuissemus, aditum facillimum ex inf$^{o}$ puro ad notionem acc$^{i}$ c. i. reperissemus. Nam facile demonstrari potest, quomodo ex enunciato „volo agere" oriatur „volo te agere." Quum vero linguae usus consuetudoque dicendi postulent, ui cognitio acc$^{i}$ c. i. iis cum notionibus, quibus condicio volendi perfecta ommissave cogitetur, creberrime conjungatur, nunc demum, ne confusa obscuraque conformetur effigies, eo pervenimus, ut ea verba enumeremus quae praeter cogitationem acc$^{o}$ c. i. indicatam alteram quoque perceptionem admittere possint.

1. Initium faciunt ea verba, quae meram notionem significant: volo (13). nolo IV, 71. II, 50. malo XIII, 42. VI, 44 (38). XIV, 61. — 2. Voluntas quae in alteram substantiam transfertur, major minorve est, ac minima quidem in his: patior (17). sino (12). concedo H. I, 37. H. V, 7. permitto I, 72. „neque in acta sua jurari permisit." H. V, 22, H. I, 47. — Eandem analogiam sequuntur verba contraria: prohibeo I, 69. „ac ni Agrippina inpositum Rheno pontem solvi prohibuisset." IV, 37. „cum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum.. sisti non prohibuisset." H. 1, 62. „Caesarem se appellari etiam victor prohibuit." veto III, 70. D. 4. recuso I, 79. „Velinum lacum.. obstrui, recusantes." — 3. Voluntas major in alteram personam translata significatur verbis orandi et cupiendi: cupio XIV, 1. „cupientibus cunctis infringi potentiam matris." I, 3. II, 58. oro XI, 10. „quis permitii Meherdaten patrium ad fastigium orabant" deprecor III, 54. „quas inritas neque mihi aut vobis usui futuras jure deprecor." — 4. Denique voluntas in necessitatem quandam permutatur, qua persona altera ad perficienda ea quae primaria substantia excogitavit, inpellitur. Quae necessitas apparet in verbis postulandi vel jubendi, quibus in usurpandis Tacitus nonnunquam non sine regula ab usu priorum scriptorum discedit. Constructionis autem acc$^{i}$ c. i. hisce verbis adjuncti ea est vis, ut actionem aliquam e necessitate aliqua fieri debere significetur;

id quod duplici modo evenit, vel inf° praesentis vel gerundivi cum cop. „esse,“ ita quidem ut inf° praesentis posito jussum quoddam vel postulatum omnino declaretur, gerundivo usurpato id quod agendum sit, simul cum postulatione significetur. Prout igitur in verbis ejusmodi necessitas major minorve inest, gerundivum aut praesentis infus ponitur. Conjunctione „ut“ autem id quod fieri se velle aliquis declaret, quasi summa jussi gravitate exprimi ex eo apparet, quod effectio actionis ex ipso jusso orta cogitari potest. Unde facile est intellectu certam quandam legem de una alterave constructione non tam in arbitrio cujusvis scriptoris quam in notione verbi regentis positam esse, ita ut ex verbo regenti eluceat, utra constructio aptior sit. Verba ejusmodi sunt haec: postulo IV, 43. „et Segestani aedem Veneris .. restaurari postulavere.“ II, 50. V, 5. VI, 18 (12). XI, 30. XIII, 52. H. II, 10. 39. H. III, 81. H. IV, 6. 2. 19. expostulo XV, 5. 16. H. I, 82. H. III, 83. flagito H. IV, 42. impetro XII, 27. „veteranos coloniamque deduci impetrat.“ Jubeo saepissime usurpatum, XIII, 11. impero I, 39. „perduci ad se Plancum imperat.“ edico I, 76. „edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti.“ censeo cum gerundivo conjunctum: (18) cum gerundio (6). Infus praesentis pass. uno tantum loco reperitur, ita tamen, ut gerundivum subsequatur: H. I, 10. „dari tempus, edi crimina, quamvis invisum .. more tamen audiendum.“

2. A simplici verborum sent. et decl. notione non solum verba volendi et jubendi, sed etiam verba affectuum recedunt. Sin autem cogitationem acc° c. i. indicatam affectus comitatur, verba ejusmodi affectus ipsos vel animo continere, vel voce significare possunt. Objectum quod notione verborum affectuum impletur, aut ut cogitatio aut ut factum, in quo affectus causa lateat, percipi potest, unde praeter accum c. i. etiam „quod“ particulam locum habere intelligitur; quo de discrimine infra videbimus. a. Accus c. i. sequitur verba quae affectus animi continent: laetor IV, 12. „domumque Germanici revirescere occulti laetabantur.“ D. 4. gaudeo I, 52, miror XIII, 21. admiror XVI, 3. miseror XV, 52. indoleo IV, 17. maereo II, 77. lamentor I, 28. inlacrimo II, 71. tolero XV, 1. „idque primores gentium aegre tolerabant, eo contemptionis descensum.“ fero I,

74. (patiens tulit) accipio IV, 71. (eo aegrius accepit) VI, 16 (10). (quo laetius acceptum) H. I, 8. b. Verba quae affectus animi oratione manifestant: praedico III, 47. grator VI, 27. (21). „Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatus.“ jacto II, 84 IV, 18. „immodice jactantis suum militem in obsequio duravisse.“ queror I, 75. II, 34. IV, 7. XIII, 9. H. I, 38. H. II, 30. H IV, 45. conqueror IV, 30. XV, 17. exprobro XVI, 10. I, 68. IV, 29. VI, 52 (46). arguo (9), coarguo G. 43. accuso XIV, 18. incuso III, 38. IV, 17. VI, 33 (27). objicio XII, 22. XV, 35. objecto III, 49. 66. XIII, 43. 22. H. IV, 42. culpo H. IV, 76. „plerique culpabant Cerialem passum.“ inputo H. V, 24. „potuisse tunc opprimi legiones et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos inputavit.“

III. Verba impersonalia non sine ulla personae significatione cogitanda esse jam supra demonstravimus. Nam cognitio rei alicujus non solum substantia singulari cogitanti nititur, sed etiam talis esse potest, ut ad quamlibet personam referatur. Quamobrem facile suspensum facimus acc^um^ c. i. ex his verbis impersonalibus: crebescere II, 39. percrebescere H. II, 26. pernotescere I, 23. XIII, 25. XIV, 8.[38]) Nec difficilior est acc^us^ c. i. in verbo constat, quod idem significat atque „omnes sciunt“ (15) — imperfecti forma: (4) — perfecti: (4). Fere idem valet apparet D. 16. Quemadmodum voluntas vel necessitas ex una in alteram personam transferri possunt, sic etiam pari ratione ex rebus externis, veluti ex moribus hominum necessitas quaedam oriri potest. Huc pertinent: placet a Tacito adamatum: (22) H. I, 17. „iri in castra placuit.“ H. II, 7. „bellantibus.. placuit expectari.“ H. III, 39. „placuit veneno grassari.“ Eadem ratione placitum est usurpatur: (7). oportet (7). decet III, 39. XV, 67. D 27 expedit H. I, 83. „ut multa etiam centuriones tribunosque juberi expediat.“ III, 53 interest H. III, 85 „rei publicae haud dubie intererat Vitellium vinci.“

IV. Adjectiva cum constructione acc^i^ c. i. consociata eandem rationem sequuntur ac verba sent. et volendi et

[38]) Quodammodo huc referri possunt ablativi illi absoluti, quibus acc^us^ c. i. adjectus subjecti locum subiit: „comperto, credito, audito, cognito, nuntiato, addito, adjecto, repetito, jusso.“

affectuum, ad quae ipsa sunt referenda. Nam cum cogitatio acc° c. i. significata a judicio pendeat, quod a persona vel omissa vel subaudita proficiscitur, acc[i] c. i. notio non obscuratur. Adjectivis copulam „esse“ propterea additam videmus, ut notio ex adjectivo et copula composita temporis significationem vel quod idem est, verbalem vim recipiat; quae copula tum demum omissa est, cum adjectiva participiorum munere funguntur. Itaque „credibile est“ idem significat quod „credi potest“ et „nescius sum“ eodem sensu ponitur quo „nescio;“ nec „nescius“ adj. repugnat „nesciens“ participio. 1. Ex verbis sent. et decl. orta sunt vel similem notionem continent: a. ea quae personae certae significatione non sunt destituta: gnarus (10). ignarus (7). nescius (4). conscius H. II, 94. (— sibi). peritus XI, 29. b. adjectiva impersonaliter posita: credibile I, 6. G. 16. A. 11. dubium II, 36. VI, 29 (23). II, 26. III, 67. VI, 25 (19) XII, 61. ambiguum IV, 65. notum est G. 16. manifestum XIII, 49. (ut — fieret.) H. I, 37. D. 5. 32. certum H. II, 18. (— erat) D. 32. (— habeo). eodem sensu: decretum A. 33. „jam pridem mihi — est neque exercitus neque ducis terga tuta esse.“ inauditum VI, 4 (V, 9). (— habebatur). occultum XIV, 58. in obscuro XV, 16. (reliqua non habentur.) Neque aliter: mirum IV, 31. „quo magis — habebatur gnarum meliorum.. tristiora malle.“ XVI, 27.

2. Acc[us] c. i. multa alia adjectiva sequitur, quorum natura secundum analogiam verborum sent. vix explicari potest. Sed cogitatio acc° c. i. significata paulatim etiam iis adjectivis copulabatur, quae, quamquam meram vim substantialem amplectuntur, qualitatem similemve determinationem continent, qua exprimitur actionem acc° c. i. positam quodammodo ad judicium personae alicujus cogitantis pertinere vel eo niti. In his potissimum adjectivis, quae actionem judicandi complectuntur, accidit, ut verba „habere, videri, reri, fieri“ copulae „esse“ munus subeant. Cujus generis sunt adjectiva haec: aequum D. 32. justum H. I, 20 (justissimum visum est). decorum II, 35. (— rei publicae foret). par I, 25. III. 5. VI, 9 (3) XIV, 49. melius III, 53. „in hac relatione subtrahi oculos meos — fuit.“ H. II, 33. D. 37. optimum H. IV, 56. (— ratus). utile H. V, 10. „simul

manere apud exercitum Titum — videbatur." propius I, 6. „— vero (erat) Tiberium ac Liviam juvenis caedem festinavisse." verius IV, 57. „causam abscessus.. num ad ipsum referri — sit." brevius XIII, 43. „— visum urbana crimina incipi." arduum IV, 4. „quamquam — sit eodem loci potentiam et concordiam esse." absurdum XV, 53. (quamvis — videretur). formidolosum A. 39. „id sibi maxime —, privati hominis nomen supra principis attolli." fabulosum XI, 27. „— visum iri tantum ullis mortalium securitatis fuisse." G. 46. ingratum II, 5. novum XII, 37. „— sane et moribus veterum inauditum, feminam signis praesidere."

V. Substantiva sequuntur. Qua ratione et via etiam nomina substantiva abstracta cogitationem acc° c. i. significatam indicent, facilius elucebit reputanti, quam arcte cum nominum adjectivorum notione cohaereant. Cujus structurae simplicissima forma ejusmodi est, ut substantivum ad notionem verborum sent. et decl. spectans cum copula „esse" consocietur. Veluti „spes est, fama est," vel si copula omittitur, „spe," i. e. „sperans." Sed multo latius ap. Tac. quidem, quo fere nullus scriptor crebriora acc^i c. i. ex substantivis suspensi exempla praebet, usus earum locutionum patet, quae ex nomine et verbo compositae acc^um c. i. asciscunt. Verba autem quae substantivo adduntur, aut per se hanc constructionem postulant, ita ut substantivum tamquam epexegetice adjectum esse videatur, aut a notione verborum sent. plane recedunt, ita ut substantivum proprie acc^um c. i. suspensum faciat. Sed hanc differentiam quamvis haud pusilli momenti singulis in exemplis singulatim persequi mihi non opus videtur, quoniam saepius fieri solet, ut in uno eodemque substantivo multiplex usus observari possit. Itaque omnium quae huc spectant locorum naturam in substantiva ipsa, seu sola posita, seu cum copula „esse" vel aliis verbis juncta referimus et viam quam in explicandis adjectivis tenuimus, sequentes ea enumerabimus.

1. Ordiamur a substantivis quae notionem verborum sent. continent: spes I, 5. 13. 31. XIV, 39. I, 55. XV, 25 51. H. IV, 43. XVI, 24. animus A. 30. „mihi — est hodiernum diem . . initium libertatis . . fore." fides II, 68. (unde major —). VI, 30 (24.) 49 (43). XV, 37. G. 45. A. 11. XV, 50. fiducia XI, 28 . .

„fiduciam dabat, . . posse opprimi damnatam ante quam ream.“ suspicio VI, 53 (47). litterae suspicionem dabant). H. IV, 19. (unde —). omen I, 28. recordatio H. III, 31. „subit — illos esse qui.“ memoria III, 65. et G. 8. (memoriae proditur) D. 32. A. 4. conscientia A. 39. (— inerat). opinio VI. 28 (22). metus I, 39. (intrat . . —). formido I, 30. pavores H, IV, 38. „falsos — induerat descivisse Africam.“ 2. Sequuntur locutiones quae ad vim verborum decl. spectant: nuntius II, 75. H. I, 70. 76 H. II, 28. 58. H. IV, 18. 79. fama VI, 36 (30). H. I, 36 XI, 14. XV, 65. H. IV, 35. I, 5. 69. 70. XIII, 54. H IV, 54. XIII, 1. rumor I, 4. 5 IV, 46. VI, 29 (23). XV, 15. 39. IV, 24. H. IV, 54. H. I, 29 IV, 10. 54. VI, 5. (V, 10). H. I, 34, H. III, 25. 68. A. 43. dictum VI, 26 (20). (oratoris — percrebuit). vox II, 57. (— quoque ejus audita est). III. 14, XII, 60. H. V, 13. XII. 39 XV, 64. H. I, 5. XII, 64. I, 31. verba XV, 25. (his fere verbis). 65. (— vulgabantur). oratio III, 12. XV, 35. sermones H. V, 25. (inter Batavos quoque — orti:) litterae I, 48. (praemittit litteras). VI, 36 (30). XII, 19. XV, 24. H. I, 12. H. III, 53. epistulae I, 36. (ut — scriberentur). Itemque apparet notionem dic. conjungi posse etiam his: sententia H, IV, 75. (quarum haec — fuit:). titulus II. 22. (superbo cum titulo:) summa XIV, 11. (quarum — fuit:). forma IV, 39. (ejus talis — fuit:) facies H. III, 68. „quem non moveret illa —, Romanum principem . . exire de imperio.“ Praeterea notionem verborum dic. continent hae locutiones: interpretatio XV, 47. H. III, 65. persuasio H. V, 13, (quibus — inerat). adseveratio IV, 15. in confesso sit D. 25. consilium H, III, 8. „adiciebatque . . — . . posse Vitellii exercitum egestate . . ad deditionem subigi.“ H. II, 85 jus jurandum XII, 47. „adicit — (se) non ferro . . vim adlaturum.“ I, 14. IV, 31. item: religio XII, 34. (gentili quisque religione restringi). XIII, 54. testis IV, 56. (testem adferebant). H. IV, 41. (deos testes advocabant). documento VI, 54 (48). (— sequentia erunt). II, 76. auctor H. III, 51. (auctores habeo). XIII, 20. Eodem trahimus: VI, 37 (31). „simul veteres terminos seque invasurum possessa Cyro per vaniloquentiam et minas jaciebat.“ (i. e. jactabat et

minabatur). Huc adduntur locutiones, quae ad vim verborum affectuum redeunt: admiratio VI, 30 (24). „sed penetrabat pavor et — callidum olim . . huc confidentiae venisse.“ miraculo IV, 66. „Publium Dolabellam socium delationis exstitisse — erat.“ prodigium XIII, 55. „Ruminalem arborem . . deminutam prodigii loco habitum est.“ grates H. IV, 64. „redisse vos — agimus.“ assensus D. 10. „ingentes —, haec . . laudari et mox omnium sermonibus ferri.“ questus II, 82. (erumpebant —:). H. III, 70. (cum mandatis et questu). — 3. Denique seriem aliarum locutionum, quae eadem ratione qua adjectiva „aequum, justum est“ et sim. sunt interpretandae, proferre liceat. Etenim „mos est“ idem valet quod „decorum est“ vel sim. aliud, itemque „fas est“ idem significat atque „aequum est.“ Supra memoravimus ejusmodi adjectiva cum inf$^{o}$ puro tum jungi, cum „solere“ notio in iis lateat; etiam acc$^{o}$ c. i. adhibito eadem notio statui potest, quum in locutionibus impersonalibus discrimen, quod inter constructionem inf$^{i}$ et acc$^{i}$ c. i. intercedit, nonnisi in acc$^{o}$ addito positum sit: Mos II, 34. XIII, 16. H. III, 56. fas D. 36. facinus H. III, 72. „id — . . luctuosissimum foedissimumque . . accidit; similiter legimus: II, 5. (haud ingratum accidit). gloria XIV, 54. „hoc quoque in tuam gloriam cedet (te) ad summa vexisse.“ (i. e. tibi gloriosum erit). in rem IV, 33. cordi esse H. IV, 58. H. III, 46. „quem spargi per provincias . . pars consilii pacisque erat.“ exemplum XII, 42.

Quum non satis sit acc$^{i}$ c. i. usum iis regulis, quas adhuc coustituimus, circumscripsisse, sed consructio haec in Tacito multo latius pateat, res ipsa postulare videbatur, ut genus hoc dicendi accuratius explicatiusque persequentes singulis de partibus acc$^{i}$ c. i. separatim exponeremus. Inquisivi igitur primum de regimine in Tacito latius patenti; deinde de pronomine in acc$^{o}$ c. i. omittendo, tum de condicione, quali sit verbum „esse“ in acc$^{o}$ c. i., de enuntiatis relativis ad acc$^{um}$ c. i. aptis et de acc$^{o}$ c. i. qualis sit in oratione rhetorica, de constructionum permutatione, denique de iis quae inf$^{i}$ aut acc$^{i}$ c. i. locum sustineant conjunctionibus. Sed ex hac larga dicendi materia h. l. sequatur solummodo disputatio quae est de conjunctionibus acc$^{o}$ c. i. appropinquantibus.

Ex antecedentibus quum inf$^{i}$ usum legibus haud ita angustis circumscriptum esse, ut variante verbi regentis notione alia quoque dicendi genera facultatem inf$^{i}$ suscipere nequeant, intellectum esse existimemus, nunc disserendum videtur de iis locutionibus, quae praeter inf$^{um}$ vel acc$^{um}$ c. i. etiam „ut“ particulam asciscant, deinde quas „quod“ particula sequatur, denique quae simul „quominus“ vel „quin“ conjunctiones admittant. Saepissime enim fieri videmus, ut Tacitus, quamvis inter omnes scriptores Latinos inf$^{o}$ breviloquentiae studio creberrime usus sit, tamen ubi sermonem variare studet, ad vulgarem usitatamque structuram redeat.

a. Accurata de ut particula quaestione omissa singulis de verbis quae conjunctionem hanc juxta assumunt, agemus. Verba statuere, constituere, instituere plerumque inf$^{um}$ nudum regunt; particula „ut“ cum sequitur, aut novum subjectum accedit, aut verborum illorum vis ita variatur, ut natura verborum praecipiendi in iis appareat. XII, 53. H. I, 80. constituere XIII, 51. (ut). instituere II, 83. (ut) III, 69. (ut). „Destinare“ verbum, quod ejusdem significationis est, cum partic. „ut“ conjungitur hoc unico loco: XV, 65. inf$^{us}$ sequens non sine lege est.[39]

In verbis postulare, expostulare partim particulam, partim acc$^{um}$ c. i. reperimus, quae quidem constructio eo facilius admitti potuit, quo magis vis simplicis verbi dic. praevalet. Si vero postulandi vis potior et majoris momenti est, particula usurpatur, veluti in his locis: III, 58. V, 3. III, 29. XII, 46. H. III, 54. II, 9. ne: VI, 11. Postulatio si quasi debilitatur et mollitur, conjunctivus sequitur: H. IV, 64. II, 65. Paulo alia est res in verbis rarius usurpatis his; poscere, deposcere, exposcere, flagitare, efflagitare, petere, expetere, de quibus deposcere, exposcere inf$^{o}$ tantum, posco, peto, expeto, flagito, efflagito particulae „ut“ conjuncta reperiuntur.[40] „Flagitare“ verbum etiam cum acc$^{o}$ c. i. semel positum est.

---

[39]) At vero nonnisi „ut“ particulam exhibet verbum „decernere“: II, 64. III, 33. XVI, 11.

[40]) Poscere H. IV, 5. petere IV, 14. (ut). 71. (ut). III, 58. (ne) III, 10. (conj.) expetere VI, 14. (8). (ut) flagitare I, 58. (ut). efflagitare XIII, 26. (ut). IV, 74. (conj.)

Ad verba monere, admonere et acc$^{um}$ c. i. et significationc immutata inf$^{um}$ apponi notissimum est. Inf$^{i}$ constructioni particula „ut“ vel conjunctivus respondet. Si enim voluntatem alicujus personam in alteram transtulisse non sufficit, sed persona aliqua adhortatione quadam ad actionem quandam incitatur, Tacitus quoque graviorem plenioremque constructionem negligere non potuit: conjtv.: XI, 25. XIII, 9. II, 26. VI, 43 (37.) ut: H. III, 40. 70. H. IV, 83. XII, 13. 27. Nec minus „ne“ particula usurpata est: III, 19. V, 4. XI, 2. XVI, 14. 67. — III, 25. (ea res admonet ut) . . XIII. 5. (admonuisset) c. cj. — In verbo hortari particulae vel conjunctivi usus praevalet: I, 48. „utque cunctos infamiae, se ipsos morti eximant hortatur.“ XIII, 39. II, 11. XI, 24.; I, 35. (c. cj.) II, 40. XV, 66.

Quibuscum prope cohaeret vis ususque verborum subigo, inpello, perpello, quae aeque ac „cogere“ verbum inf$^{us}$ sequitur; tamen etiam particula poni potest et mihi quidem particula tum recte posita videtur, quum actio, qnae ex adhortatione aliqua proficiscitur, vere est peracta: XII, 45. „inpellit milites ut pacem flagitarent“ II, 34. I, 40. (perpulit — ut). 24. II, 67. H. II, 33. H. IV, 14. XI, 36. (perpulere ne) H. IV, 20. (perpulerant c. cj.) II, 40. (subigi non potuit.)[41]) Ad verbi „cogere“ vim proxime accedit „jubeo“ in quo adhibendo multiplex locum habet constructio! Praeter acc$^{um}$ c. i., quae est legitima atque omnibus usitata constructio, Tacitus nonnunquam 1.) inf$^{um}$ activi posuit, qui num nudus sit dubitari potest. Sed usus hic inde facillime mihi explicari posse videtur, quod subjectum quoddam, quod ex orationis contextu facile intelligitur, veluti „milites“ vel sim. al. cogitatione suppleri potest. Etenim cum in actionibus potissimum militaribus, cui personae jussum aliquod sit peragendum non dubium esse aut possit aut debeat, subjectum ipsum sine ulla dubitatione opprimi potuit. E. g. II, 32. „cum classicum canere jussissent.“ H. III, 80. „prorumpere jubet.“ Similis naturae loci jam in Livio

[41]) Pariter compellere (ut) XI, 10. Perpetrare quod fere eandem significationem habet, „ut, ne“ exhibet: XII, 58. (ut) XIV, 11. (ne). Deinde obtinere ut III, 12. At impetrare acc$^{um}$ c. i. acciscit. — Praeter cogere verbum etiam adigere, inducere verba inf$^{um}$ modo postulant, exstimulare autem „ut“ particulam assumit.

et Caesare inveniuntur. 2.) Perraro conjunctivi usus est admissus: H. II, 46. „bonum haberet animum jubebant." et cum dativo personae: XIII, 15. „ubi Britannico jussit exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet." 3.) Neque a Tacito aliena est partic. „ut" de verbo „jubere" suspensa: XIII, 40. „quibus jusserat ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur." XI, 32. „jussitque ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent." Quaerentibus nobis qua ratione „ut" particulae usus, quae ne a Ciceronis usu quidem abhorret, sit interpretandus, dativus personae qui in Tacito certe verbo huic conectitur, demonstrat, notione decl. verbi meri abjecta et omissa verbum „jubere" in cognatorum verborum, quae dativum personae flagitant, analogiam rediisse. Itaque si et formam et sensum spectamus, discrimen haud pusillum intercedit inter „jubeo te scribere" et „jubeo (tibi) ut scribas." „Jubeo te scribere" cum dicitur, „jubeo" vocula ipsius verbi cogendi analogiam sequitur et „te" est persona, quae scribere jubetur. Jam vero cum dico „jubeo (tibi) ut scribas," in voce „jubeo" desiderium explicatius apparet, nec solum scribendum esse declaro, sed quasi vehementius exhortor, ut statim vel expresse scribatur. Hinc luce clarius particulae usus explicari videtur. Dativum personae, cui jussi declaratio fiat, num poni oporteat, dubitari potest, nam dativus personae non tam ab usu naturaque verbi „jubere" abhorret, quam supervacaneus videtur, quum e verbo subsequenti quae sit persona agens satis eluceat. Certum sane est posteriore demum aetate et in Tacito quidem binis tantummodo locis inveniri dativum. Conjunctivo sequente particulam omissam esse non arbitror, sed potius imperativi indirecti forma conjunctivum esse intelligendum.[42]) Quod ad verba similia imperandi attinet, imperare a Tacito semel cum acc° c. i. jungitur, cum inf° bis; praecipere verbum duobus locis inf^us, uno „ut" particula sequitur: H. IV, 83. „praecipitque navigaturis ut Pythium Apollinem adeant." Edicere quod ejusdem signi-

[42]) Ab exemplis prolatis segregandus est locus hic: IV, 72. „tributum iis Drusus jusserat modicum pro angustia rerum ut, coria boum penderent."

ficationis est, prout aut vis decl. aut imperandi praeponderat, partim acc$^{um}$ c. i. partim particulam asciscit: XIII, 51. (ut). [43])

Verba scribere, nuntiare, si primitivam vim exuunt, verbi praecipiendi vel exhortandi accipere constat, quo fit ut et cum inf$^{o}$ et particula ponantur: scribere II, 78. „regulis Cilicum ut se auxiliis juvarent scripsit.“ H. II, 100. H IV, 19; nuntiare II, 65. „qui nuntiarent regibus, ne armis disceptarent.“ Conjunctivus autem suo loco est, ubi jussum aliquod mollitur: XIII, 27. „scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum.“ H. III, 5; XI, 37. „nuntiarique miserae.. postera die adesset.“ Aequabiliter III, 2. „addito ut magistratus.. munera fungerentur.“ 69. itemque: IV, 6. „et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera.. tolerarent, providebat.“ Suadere verbum promiscue cum inf$^{o}$ et partic. (ut, ne) vel conjunctivo usurpatur. Uno loco acc$^{us}$ c. i. peculiariter subsequitur, ubi non ad actionem incitatur, sed aliquid fieri necesse esse significatur; unde apparet verbi „suadere“ vim in naturam verbi persuadendi transiisse. I, 55. „suasitque Varo, ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret.“ II, 50. (ut) XI, 37. (ne) I, 68. (conj). Rarius cum inf$^{o}$ et uno tantum loco cum acc$^{o}$ c. i. conjungitur orare verbum; crebrior in Tacito quoque particulae (ut, ne) vel conjunctivi usus, causa per se satis aperta, fuisse videtur. IV, 37. „oravit ut.. delubrum Tiberio.. exstrueret.“ XII, 51. II, 81. 9. XIV, 6; II, 50. „oravit ne cui verba.. crimini forent.“ III, 12. VI, 10 (4); I, 44. „supplices.. orabant puniret noxios.“ II, 21. VI, 4 (V, 9). XV, 64. H. III, 10. [44]) In verbo permittere Tacitus inf$^{i}$ vel inf$^{i}$ c. acc. usum praetulit, „ut“ particula semel reperitur: III, 63. „consulibus permisere ut.. rem integram rursus ad senatum referrent.“ — Saepius autem „ut“ particula posita est in verbo synonymo dare tum, quum aliquid alicujus honori vel auctoritati tribuitur: IV, 55. „Tyrrheno datum (esse) novas ut conderet sedes.“ II, 53. 58. I, 7. III, 69. XII, 23. III, 69. (ne).

[43]) Similiter III, 73. „negotium dat Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret, ipsius autem ducis poteretur.“

[44]) Eodem modo „precari“ usurpatur: XI, 35. (ut). III, 36 (conj). — Verbum „obtestari“ si pro verbo dic. accipitur, acc$^{um}$ c. i. postulat, particulam „ut“ autem, si vis orandi praevalet: VI, 1. (ut).

Quamquam verbum censere plerumque acc$^{\text{um}}$ c. i. asciscere constat, etiam a Tacito aliquoties particula (ut, ne) adhibetur, si quidem hortandi vel orandi significatio accedit: III, 47. „censuit ut ovans.. urbem introiret.“ 11. „patres censuissent, ut ovans iniret.“ I, 74. „plerique ut nomini Caesaris ascriberetur Juliae filius censebant.“ 76. III, 64. IV, 20. 56. VI, 9. H. II, 10. H. IV, 9. 40; II, 32. (ne). III, 33. (ne).[45] Sin ambigitur, utrum decl. an optandi vis praevaleat, utramque constructionem usurpatam repperimus.[46] Eadem ratione in placitum est particulae „ut“ natura agnoscitur, quae tribus locis occurrit: I, 36. „placitum ut epistulae nomine principis scriberentur.“ III, 60. VI, 4. (V, 9). Solita autem Tacito constructio est inf$^{\text{i}}$ vel acc$^{\text{i}}$ c. i.

Praeterea locutiones quaedam occurrunt, in quibus „ut“ particula offendere potest. Fieri enim solet, ut verbum, e quo acc$^{\text{us}}$ c. i pendere debuit, plane omittatur et acc$^{\text{i}}$ c. i. constructio ipsa in enunciationem ex „ut“ particula suspensam transeat. Verumtamen ex iis, in quibus „ut“ consecutivum adhibetur, Taciteus usus duo tantum exempla habet: XII, 37. „sequitur ut omnes servitutem accipiant.“ XIII, 50. „sequens (esse) ut tributorum abolitio expostularetur.“ Aequabiliter „ut“ particula est usurpata in locis his, quibus simul inest finis vel optatum: XV, 68. „opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur.“ XVI, 26. „ut Neronem flagitiorum pudor caperet, inrita spe agitari.“ Eodem pertinet merere verbum, quod alias inf$^{\text{us}}$ sequitur: II, 37. „simul majores meruerant ut posteros haberent.“

Neque oblivione praetermittendum est Tacitum nunquam post oportet (sim. „necesse est,“ opus est omnino non reperiuntur) conjunctivum vel „ut“ admisisse; etiam post locutiones adjectivas vel substantivas nonnisi aut inf$^{\text{um}}$ aut acc$^{\text{um}}$ c. i. usurpavit,[47] perpaucissimis locis exceptis: XII, 64. „fatale sibi ut conjugum flagitia ferret, dein puniret,“ ubi particulae „ut“ vim epexegeticam vim tribui velim. Eadem particulae vis inest loco huic: A. 24. „vetere.. populi Romani consuetudine, ut haberet instru-

[45]) Pari modo: IV, 64. „adduntur sententiae ut mons Caelius.. Augustus appellaretur.“ XV, 74. „pro sententia dixisse.. ut.“

[46]) Cf. II, 36. III, 17. IV, 20.

[47]) Vid. Zumpt. g. l. §§ 622. 623.

menta servitutis et reges.“ In vocabulo expedit et inf$^{um}$ et acc$^{um}$ c. i. et uno loco partic. posuit: III, 69. „neque expedire, ut (princeps) ambitione aliena trahatur.“ [48]) Deinde in interest uno loco acc$^{us}$ c. i. positus est, altero „ut.“ H. I, 30. „vestra, commilitones, interest ne imperatorem pessimi faciant.“ Fere idem in voce „sufficit“ statuendum, quae singulis locis inf$^{um}$ et „ut“ particulam asciscit: D. 32. (ut).

b. Jam ad alium verborum ordinem transmigremus, quae affectus animi vel continent vel ipsos significant. His verbis affectuum et „quod“ particulam et acc$^{um}$ c. i. regi satis notum est et in universum judicanti constare videtur utramque constructionem in eodem verbo adhibitam nonnisi parum differe. Sed cum discrimen quoddam inter utramque constructionem negari nequeat, ut quid differentiae ex unius alteriusve usu eruatur, cernas, haec afferam: Verba affectuum, cum nomini conectuntur, interdum et acc$^{um}$ et abl$^{um}$ assumunt, itaque dicere licet: „laetor illa re“ et „laetor aliquid.“ Haud multum aliter res se habet, si praeter „quod“ partic. acc$^{us}$ c. i. repperitur. Differentia enim neque in arbitrio scriptorum studioque, nec verbis singulis affectuum, sed in eo quaerenda est, quod res vel objectum ut vocant, quo verbi ejusmodi notio impletur, varia ratione percipi potest. Nam objectum, ad quod verbi actio spectat, vel arctiore vel laxiore vinculo cum verbo ipso conjunctum est, nec solum revera, sed animo quoque percipiendum cogitatur; qua varia objecti condicionem definiendi ratione unam alteramve constructionem intelligere docemur. Simplicissimam relationem, quae inter verbum affectuum et rem affectus excitantem intercedit, tum agnoscimus, cum „quod“ particula sequitur. E. g. „laetor quod Cajus valet“, hic voces „q. C. v.“ factum certum continent, quod simul causam actionis laetandi demonstrat. At vero cum dico „laetor Cajum valere“, res aliter percipienda est, voces „C. v.“ non factum ipsum aliquod exprimunt, sed potius sententiam vel cogitatum vel animadversionem, quam ad penitus interpretandam notio quaedam sent. (vel decl.) subintelligi potest. Ita-

[48]) Locutio „convenit“ quae semel repperitur, particulam assumsit: H. III, 64.

que enunciationem „laetor Cajum valere“ sic accipias: „laetor audiens, cogitans, animadvertens Cajum valere“ vel „cum laetitia audio, animadverto Cajum valere.“ Itemque „queror Cajum mortuum esse“ significat „queror cogitans“ vel „cum questu dico.“ Acc$^{us}$ igitur juxta verba affectuum positus indicat rem aliquam, quae laetitiam, dolorem, mirationem, questum vel sim. al. efficiat, laxiore vinculo cum verbo regenti junctam animadverti vel cum dolore, laetitia et sim. declarari. Sin autem ostendatur oportet, quae causa actioni verbi fuerit quaque ratione factum ipsum ad notionem verbi regentis attineat, ponitur „quod“ particula. Haec fere est inter acc$^{i}$ c. i. et „quod“ particulae constructiones differentia; huc accedit quod in acc$^{o}$ c. i. notio verborum affectuum aliquid immutatur, in particula „quod“ integra remanet.

Si vero quaeratur, qua ratione in Taciti operibus usus alterutrius constructionis perpendatur, acc$^{um}$ c. i. utpote historico dic. generi apprime convenientem adamasse Tacitus videtur nec multa occurrunt exempla, in quibus „quod“ particulam positam videbis.[49]) Sunt autem verba hujusmodi in Tacito, quae nonnisi acc$^{us}$ c. i. comitetur, tum quae utramque constructionem asciscant, denique quae tantummodo cum partic. posita reperiantur.[50]) Sequantur jam loci, in quibus particula adhibita

[49]) Nonnunquam verba mere dic. affectuum verborum naturam imitantur et „quod“ particulam asciscunt. Hujus generis dic. infima Latinitatis aetate maxime usurpati duo tantummodo, quod sciam, ap. Tac. inveni exempla: III, 54. „at hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris cotidie volvitur.“ XVI, 30. „orditurque de amicitia Rubellii Plauti quodque proconsulatum .. Soranus .. egisset.“

[50]) Primi generis sunt: gaudere, admirari, indolere, maerere, lamentari, inlacrimare, tolerare, ferre, praedicare, conqueri, coarguere, accusare, culpare.“ — Quae utramque constructionem usurpant, ita enumerentur, ut numerorum eis adscriptorum prior indicet, quoties acc$^{us}$ c. i., alter, quoties particula reperiatur: laetor (2 : 1). accipio (3 : 1) grator (1 : 1). jacto (2 : 1). queror (7 : 1). exprobro (4 : 1). arguo (9 : 2). incuso (3 : 1). objicio (2 : 1). objecto (5 : 1). — Denique tertio generi attribuenda sunt: gratulor H. IV, 64. „vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis.“ laudo XIV, 3. XII. 30. (ind.) III, 62. (conj.) postulor III, 70. IV, 34. increpo II, 59. (conj.) III, 44. H. I, 74. excuso I, 59. — Similiter VI, 24. „crimini datum quod Theophanen .. Cnejus Magnus inter intimos habuisset.“ III, 66. „tamen pudendum ipsis quod victores adversus Gallos .. ducerentur.“

in quaestionem nostram cadit: Laetor III, 24. „se quoque laetari quod pater ..revertisset...“ accipio III, 29. „adversis animis acceptum quod.. destinaretur.“ grator XIV, 10. „gratantiumque quod.. evasisset.“ jacto VI, 31 (25). (jactavitque quod). queror V, 5. „questus quod.. foret.“ exprobro VI, 18 (12.) „exprobrabat quod.. egisset.“ arguo XVI, 27. „arguebat quod desererent.“ I, 40. „arguere Germanicum omnes, quod non.. pergeret.“ incuso I, 46. „incusare Tiberium quod.. dissideat.“ objicio I, 73. „Falanio obiciebat quod adscivisset.“ objecto XVI, 7. „objectavit Cassio quod.. coluisset.“

b. Deinde quaerenti, quomodo acc$^{us}$ c. i. ad conjunctionem quominus pertineat, verba impediendi, quae potissimum particulam eam postulant, a natura notioneque verborum sent. et decl. admodum discrepare constat. Nihilosecius quum nonnulla verba ejusdem generis utramque constructionem permittant, non totum „quominus“ particulae usum e Taciti scriptis afferre, sed ea tantummodo verba accuratius enumerare meum esse puto, quae vel ab inf$^{o}$ vel ab acc$^{o}$ c. i. non aliena sunt. Quorum in numero prae ceteris habendum est „prohibere“ verbum, quod inf$^{um}$ activi et passivi generis octo locis adsciscit, negatione ante omissa; acc$^{us}$ c. i. tribus locis reperitur nec particula „quominus“ locum non habet, quamvis rarius inveniatur: III, 12. „neque reum prohibeo quo minus cuncta referat.“ 76. „neque prohibuit quo minus.. cohonestaretur.“ H. V, 8. „quo minus taeterrimam gentem in melius mutaret, ..morte prohibitus est.“[51]) „Recusare“ autem, quod a ceteris scriptoribus cum particulis „quominus, quin“ jungitur, in Tacito aut inf$^{um}$ aut acc$^{um}$ c. i. exhibet. Ad verbum „deesse“ non semper inf$^{us}$ appositus est, sed uno loco „quominus“ sequitur: XIV, 39. „nec defuit Polyclitus quo minus.. incederet.“ — Itemque in verbo „omittere“ particula in-

[51]) Rectissime dijudicasse mihi videtur Hildebrand. Ueber einige Abweichungen im Sprachgebr. des Cic. Caes. und Liv. cet. Tremoniae 1854. p. 19., qui contendit usum particulae „quominus“ in hoc verbo esse perrarum et exceptionis instar habendum, quum Caesar particulam nunquam, Livius semel, Cicero tribus locis adhibuerint. Quae quidem regula in Tacitum perbene quadrat. Minus recte explicant rem Zumpt. g. l. § 543, Madw. § 375. b. et § 390.

venitur: H. II, 40. „non omissuro, quo minus.. adgrederetur.“ — Nec non „dubitare“ verbum praeter infum et accum c. i. particulam permittit: H. II, 45. „nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent.“ [52])

d. In Tac. particulas „quominus“ et „quin“ nonnunquam idem significare et unam pro altera positam esse multis exemplis probari potest. [52]) Etiam „prohibere“ verbum usum particulae „quin“ negatione non praeeunte praebet: XIV, 29. „quin ultra bellum perferret, morte prohibitus est.“ cf. H. V, 8. — Pari modo „omittere“ verbum „quin“ particulam asciscit: III, 27. „ac ne bello quidem Italico omissum, quin multa et diversa sciscerentur.“ Similiter „cunctari“ ut alias info, sic semel cum partic. jungitur: XI, 8. „neque cunctatus quin.. magistratus.. carcerem recludant.“ Postremo „abnuere“ verbum memorandum est, quod tamquam verbum impediendi uno loco particulam assumit: XIII, 14. „non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent.“ — Hactenus de infinitivo Taciteo, reliqua alio tempore promam.

---

[52]) Quod Tacitus „quin“ particulam cum verbo „dubitare“ posuit, mirum esse posset, nisi apertum esset acci c. i. constructioni inde a Ciceronis aetate paulatim usum particulae „quin“ cessisse.

[53]) Vid. Roth. l. l exc. 29. 4.

# Vita.

Natus sum Paulus Czensny a. d. IV. Cal. Novembres a. h. s. XXXIX. Bregae, in urbe Silesiae mediae, patre Blasio, matre Johanna, e gente Werneriana, quibus parentibus ut Deus O. M. tranquillam et beatam senectutem condonet, pio gratoque animo precor. Fidei addictus sum catholicae. Prima litterarum elementa quum in schola publica didicissem, altiora petendi cupiditate ductus continuis precibus a patre impetravi, ut duodecimo anno jam peracto gymnasium bregense adirem, quod nunc Guttmanno directore eximie merito patriae urbi decori est. Gymnasii in sextum ordinem receptus ceteros legitimo tempore percurri.

Testimonio maturitatis instructus almam universitatem litterariam Vratislaviensem philologiae operam navaturus petii et mense Maio anno h. s. LX. per Rectorem Magnificum Friedlieb civibus academicis adscriptus nomen apud Grube V. Ill., philosophorum ordinis tunc spectabilem decanum, rite professus cum. Scholas frequentavi virorum amplissimorum Bernays, Braniss, Elvenich, Fritz, Galle, Haase, Karow, Junkmann, Hertz, Luebbert, Oginski, Roepell, Rossbach, Rumpelt, Schroeter, Stenzler, Westphal, quibus omnibus de me optime meritis maximas quam possum gratias ago. His viris quantum debeam ut memori gratoque animo infixum haerebit; ita facere non possum, quin profitear, quanto cum meo dolore institutione virorum illustrium Haasii, Hertzii, Rossbachii, qui philologiae campum latissimum patefecerunt, e litterarum monumentis fructum jucundum praebuerunt, consiliis benignis ad studia incitaverunt, diutius frui, id quod semper enixe exoptavi, mihi non licuerit. Nam benigna sorte mihi non contigit, ut leni decursu studia mea absolverem prosperumque iis finem imponerem. Morbi acriores nec non rei familiaris angustiae haud parvo saepenumero impedimento mihi fuerunt. Itaque quum per quatuor annos scholis interfuissem, aestate anni LXIV. h. s. pueros privatim instituendos suscepi, quo munere suque ad mensem Aprilem h. a. functus sum.

## Sententiae controversae.

1. Infinitivi et usum et notionem variante linguae habitu et augescente immutari contendo.

2. Ad Taciti lectionem in superioribus gymnasiorum ordinibus nonnisi provectiores in litteris latinis discipulos adducendos, neque ullum ex ejus scriptis quod ab iis legatur, magis idoneum esse quam Agricolam, librum plane egregium, censeo.

3. Tac. Ann. IV, 28. sic legi velim: „Iisdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius; nomen utrique Vibius Serenus. In senatum inducti sunt, ab exilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus imperante filio: praeparatus adulescens e. q. s.“

4. Propert. I, 2. 9. „summittat“ conjunctivum praeferendum esse arbitror.